





NB. dawne Local-Repertor. znaki, dziś nie używane.

RATIONALE
PONTIFICIO-PHILOSOPHICVM

E subtili *Rationalis Philosophiæ* materia contextum
& ad normam veteris Aaronici Rationalis
Bissenis veritatum Logicarum gemmis distinctum.



nec non

ILLVSTRISSIMO
Ac
REVERENDISSIMO
DOMINO

D. NICOLAO MICHAELI
GERALDO
WYZYCKI
EPISCOPO CHEŁMENSI,

Abbati Cervenensi, Præposito Mstoviensi
Sacræ Theologiæ Doctori
oblatum
ac in Philosophicam disceptationem propositum
Per Magnificum Dominum IGNATIVM SIENKIEWICZ Philosophiæ Rationalis auditorem

Præside R. P. CHRISTOPHORO EYNAROWICZ Soc. IESV, eiusdem Rationalis Philosophiæ Ordinario Professore
In Collegio Varsaviensi Societatis IESV Anno Domini 1699.



Præſuleas ornans CRVX Octogona Tiaras'
Demonſtrat, qvòd ſis PASTOR ut octo Bonus

ILLVSTRISSIME
ac
REVERENDISSIME
ANTISTES



Ationale PontificioPhilosophicum, utroq; titulo Tuum Tibi præsento. Pertinebat & istud, Præsuleum insigne, ad Pontificia Bona & Decora, cum Titulo Episcopali occupanda. Nempe ad pectus Pastoris Optimi, spectabat pectorale, & vetus Pontificium, jure novo virtutis, & novum Philosophicum, titulo vetustæ in Severiores æquè ac Humaniores Musas WYZYCCIANÆ Munificentiæ. Quid, quod gemina, Præsulea scilicet & Senatoria status Ratio, Rationale Pontificium & Philosophicum, ut proprium sibi exigit; nempe quo & Magnus Pastor, commissum Tibi cælitus gregem, & Consultissimus Senator, salutem publicam, Præsuleo Senatorio Pectori arctiùs adstringas, protegasque. Neque alio Pectorali Pectus Tuum, Præsul Inclyte, Pectus inquam, nil præter Dei & Patriæ amorem spirans, dignius pulchriusq; valuit exornari, quam isto PontificioPhilosophico, quod & Præsulei cordis, magnum incolam Pastoralem Zelum, & arbitram politissimæ mentis, solijque Pontificalis assistricem sapientiam, in facie Orbis Poloni contestaretur. Denique bissenæ Veritatum Logicarum gemmæ, Pectus Tuum Sacrum, non tam ornare, quàm ab illo ornari perambiunt, ab illo inquam Pectore, in quod vastus ille, ac planè WYZYCCIANVS spiritus, innumerorum Præsulum, immortalia Sacræ ac Civilis Purpuræ lumina collegit, postquam unus omnium mentes occupasset. Videt Te hodie PRÆSVL ILLVSTRISSIME videt Polonia, ad Chelmenses Infulas sublimatum, & in Te spectat ardentes Zelo Præsuleo Augustinos, liberâ pro Deo & Ecclesia, svadâ animatos Ambrosios, adorat intrepidi animi Chrysostomos. Te ad fastigium Præsuleum assurgente, assurgunt in fortunata omina Aræ, foci, Divorum Immortalium delubra,

gaudentq;

gaudentque tot *Præsulum in te animatas virtutes, quot Præsules Tuis virtutibus animâsti. Zelum illum Operosissimum ac planè Wyzyccianum, vidit toties Podolia, Volhynia, spectavit & stupuit Strigonium ubi IOANNIS Invictissimi, triumphalium itinerum ac periculorum Comes, aperuisti toties profusam in munificentiam manum, quoties pectus in amorem auxiliumque miserorum reclusisti. Campus Martius Cladibus & mortibus horridus, feraces Tibi Zeloque indefesso meritorum exhibuit Colonias, in quibus longa viarum Regionumque inclementiâ, ac aeris intemperie fatiscentem militiam, quà spiritualibus monitis ad cogitationes æternas, quà temporalibus præsidijs, ad bellica molimina relevans, divinaque humanis jungens subsidia, Magnus ex utroque Opifex, tot Civicas collegisti, quot Cives, Cælo ac Patriæ, cum præsenti vitæ Tuæ discrimine conservasti. Videre erat in illa belli calamitate, alios animo, alios corpore cadentes, Te omnibus parem subsistere relevandis, audire licuit ætatis sexûsque promiscui voces, Te suum Trianum Tuamque opem implorantes.* Te parvuli noscere, ostentare Iuvenes, mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conspectum Tui quasi ad salutem sanitatemque prorepere: Inde alij se satis vixisse Te viso: alij nunc magis esse vivendum prædicabant. *Credo ego inter lituos Mavortiales, commune omnium Tua manu sublevatorum personuisse unitonium: talem debere esse, cui ad Præsuleum solium sublimando, salus populorum, Divinorum cura, Ecclesiæ honos & tutela meritò à superis credi, debere censeatur. Hanc eandem pectoris & dexteræ Tuæ munificentiam, inter alia plurima Religiosorum Asceteria, colit imprimis coletque perenniter sacer Canonicorum Ordo, ac Conventus Mstoviensis, cui quantum profueris, quantum eundem auxeris, me tacente,* MAGNIFICÆ Moles, & Saxa loquentur & Aræ. *Præmisisti Pontificalibus Infulis, Abbatiæ Cervenensis Tiaras, non ignarus, minoribus curis exercendum aptandumque fuisse caput, ad Pontificia molimina; ad culminaque Præsulei honoris ascensurum pedem per humiliores ascensus explorandum, nec priùs Pastorali pedo fulciendum, nisi postquam inter ardua gerendarum rerum discrimina, immobili gradu substitisset. Hisce itineribus Magne Pontifex ad Infulati honoris fastigium trahebaris potiùs, quàm procedebas: nec postquam ad hasce Præsuleæ dignitatis Aras constitisti Te ipsum, id est Optimum (ut plerisque novorum honorum insignia induentibus, istæ placent exuviæ) exuisti; manet Tibi idem sub Pontificia purpura,*

pura, qui fuerat sub Toga Religiosa candor, nullo custode, nullisque securibus, Præsulea horrent atria, Pontificiæ fasciæ fasces placent, quibus corda animosque omnium Tibi devincias. Non Tibi inaccessa, ac pluribus Admissionibus quærenda Authoritas, supra cæteros dignitate provectus, talem Te privatis exhibes, qualem privatus ipse optares, Trajani bonitatem æmulatus, omnibus spectandus offerris, nec magis communē hunc solem, atque diem, quàm Te oculis affatuque usurpare conceditur. *Refutas affectatam quorundam superbiam, qui dignitati suæ detrahi putant, nisi in Palatij Sacrario, tanquam occultum Numen veneratione secreta consulantur. Manet Tibi eadem quæ prius humanitas, affabilitas, facilisque accessus: hæret lateri Tuo quisquis accessit, finemque sermoni, suus cuique pudor non Tua superbia facit. Quantus inde Tibi Civium amor, quantum ex amore dignitatis Præsuleæ incrementum! De Te illud verè affirmaverim, quod nonnemo suo in Principe optaverat,* vives in omnibus, vivemus in Te omnes.

Portaverit Aaron in Rationali suo nomina Filiorum Israel, nos Magne Præsul, Martios Majorum Tuorum vultus, è vultu Tuo in pectorales Rationalis Pontificio-Philosophici gemmas transferimus. Dixerit quispiam, viso Solone, vides omnia, hîc Græcia, hîc Athenæ; *veriús in Te NICOLAE Gloriosissime, virtus & natura, ita Divorum Majorum expressit Imagines, ut in Tuo unius vultu, omnium Effigies spectare, in pectore magnanimas omnium mentes admirari, in pectorali Pontificio, Spartana WYZYCCIORVM pectora adorare, sit necesse*; hîc Græcia, hic Athenæ. *Primum in Pectorali Tuo locum obtinent, venerandi vultus, gemini Geraldi, quorum Primus Vratislaviensis Præsul, Invicti Loketkonis ad Ioannem XXII. Pontificem Maximum Fecialis, in Gentilitio crucis signo, feliciorem Cruciatam reportavit, postquam pro crùce cùm Crucigeris, & Religione cum Religiosis malè feriatis, decertaturo Principi, Octogona Crux mille bellicos cruciatus & cruces hosti, Poloniæ felicia belli victoriæque omina retulisset. Alter Geraldus Orientalis Ecclesiæ & ritûs Præsul, quantum Occidentali Ecclesiæ luminis pepererit, plurimorum à Capite Ecclesiæ divisorum membrorum, unita per eum & fides & virtus, serò venturæ dicet posteritati. Hoc demùm Gentilitium Crucis Octogonum, in Wyzyccianas Ceras cum sangvine transfusum, triumphalibus Aras Gradivi, laureatis altaria Consi implevit prodigijs. Atque ut Wyzyccianam Crucem, in pace & bello, Thaumaturgam*

Orbis

rbis non dubitaret, super Aras, etiam Orthodoxæ Religionis, tot eam be-
precantium Civium exornant vota, mille belli pacisque illustrant lu-
ina, quæ veterum Religione Vestalium, confluentibus hinc inde cognata-
um Familiarum Gentilitijs Ceris, ipsa nutrit ac custodit æternitas, Po-
nia tota, sub nubilam belli noctem, Martisque tonitrua, salutarem illo-
um lucem experitur. Ardet Iulium sidus velut inter ignes luna mi-
ores, atrasque fatorum dissipat noctes, IOANNES STANISLAVS
Wyzyce WYZYCKI Terrarum Kijoviensium Vexillifer, Tuus Præ-
l ILLVSTRISSIME Genitor, Sago & Toga clarissimus. In splendorem
ucemque ejus perennem transijt erepta toti es Kozatico, Musurmannico, Pan-
nico, Moschovitico, Scythico, Gradivo vitalis lux, non indignùm rata,
rucem Wyzyccianam hisce indignorum luce luminibus radiare, cum eti-
m ipsorum Divorum Immortalium Aræ mortalibus luminibus coruscare non re-
uant. Intendit extenditque Paternos Ioannis Illustrissimi splendores, quin-
ue Polonarum Serenitatum Ævo, Coæva ætas, & merita: primi quasi di-
iculi lucem, ab exorta è Polo Svetico, Polono Cælo, Sigismundi III. Se-
enitate est auspicata, serenum gloriæ Immortalis mane, à fortunatissima V-
adislai IV. Majestate derivavit: meridianam lucem sub Martio Ca-
imiri ac Michaëlis sudo induit. Stetit demùm in auge sub Ioanne
ostquam sub illo Serenitatum sole, sub illo Serenissimorum Maximo, gran-
e ætatis, meritorum, gloriæ, per tot incrementa provectæ, ipsum plane
olstitium attigisset. Fortes creari fortibus, si ubi degener ab Avita for-
itudine partus, inter Apocrypha recensuit, in Domo Illustrissima Wyzyc-
iana oraculi fidem huic vatis effato inesse, probavit in facie Martis Po-
oni, GEORGIVS à Wyzycce WYZYCKI Capitaneus Vavolnicensis
Tuus Præsul Illustrissime Frater Gloriosissimus, qui in Sacro adversus Otho-
anos bello, forti ac planè Wyzycciano fato saluti Patriæ immortuus, se-
am heroum docuit posteritatem, illud demùm heroicum, ac planè Wy-
yccianum esse, inter lituos & tela vitam agere, stragibus ac mortibus in-
ubare, fatis gloriam emere immortalem. Pari, inter laureas & Pal-
as triumphales passu, assurgit ad immortalitatem Thomas Wyzycki Ge-
rgij fortissimi è Patruo Frater, qui Paribus in bello Othomanico victima
alutis Patriæ occumbens fatis, Orbi exhibuit universo, solennem hanc Do-
nûs Wyzyccianæ legem nascendi esse, non sibi sed orbi nasci, nec aliam
irare vitam, nisi qua gloria gentis, salusque Patriæ animetur. Hanc
emum veritatem immortalibus approbavêre fatis, Michael Wyzycki sub
Hocimo, Stephanus Wyzycki sub Bractaw, mavortiales spiritus cum san-

gvine profundentes, ſimulque veterum Æmiliorum ac Fabiorum gloriam
inter atrocia funera ſuſcitarunt, hoc diſpare fato, quod omnes Fabios, n
omnes Wyzyccios una dies ſuſtuliſſet. Nicolaus Wyzycki Polonæ pro l
bertate in campis Batoh dictus captivus, Romanorum Torqvatorum dignit
tem, inter feralia vincula pedicasque barbaricas in Domum Wyzyccianā
reduxit, poſtquam è Patria, pro Patria in duram captivitatem exceſſiſſe
Quid memorem grandia Wyzyccianæ Domûs columina Stanislaum Wyz
cki Capitaneum Tymbarenſem, Magnum Sago & Toga heroem? & Ioanne
Wyzycki Vexilliferum Kijovienſem, alterum Tuum Fratrem Præſul m
xime, hic imprimis Iacobi Poloniarum Principis auſpicia ſecutus, Mart
Cataphracti Aquilifer, Vkrainenſes, Moldavicos, Geticoſque Campos, n
tam Martijs paſſibus quàm laudibus peragravit, tandem Lubomirſcian
Magni Mareſchalci Cohortis Loricatæ ductor, Crucis hoſtibus octogonam Cr
cem oppoſuit, quam novo prodigio, non jam demiſſo, verùm deciduo c
pite toties barbari adorarunt, quoties iſtud Wyzyccianæ Domûs inſign
ſuper Polona labara clypeoſque reſulſit. Hiſce Immortalibus pluribusque
lijs Wyzycciorum Nominibus, ſuper pectorales Rationalis Tui gemm
expreſſis, affulgent cognatarum Familiarum Nomina & decora: Ornant R
tionale Tuum, non unam paritura Minervam ZACWILIKOWSCIORV
& LIGEZARVM Capita, advolant ad cuſtodiam non jam auri, ſed Pon
tificiarum gemmarum Gentilitij KONARSCIORVM Gryphes, diſtingvun
gemmas purpureæ MECZENIORVM Roſæ & OSVCHOWSCIORVM L
lia, candidam pro Patria ſpirantia animam. Denique in decus Tuum
Tuique Rationalis confluunt concentranturque Avita Tuæque Domui Illu
ſtriſſimæ cognata, Svantopelkorum & Czetvertenſciorum Ducum, PRA
ZMOWSCIORVM BICZYNSCIORVM, CHOYNSCIORVM, OSZVLE
WSCIORVM, BORKOWSCIORVM, WOLSCIORVM Ducum CZETWER
TINSCIORVM, CETNERORVM, ZABOKLICCIORVM, SKOTNICCIO
RVM, KASZEWSCIORVM, KOSAKOWSCIORVM lumina univerſ
in Tuum concurrunt decus, ſuum veluti in ſolem radij, in cor venæ
in fontem rivi, univerſa flumina in Oceanum aquarum regna
torem.

Habes Præſul Illuſtriſſime in Pontificio-Philoſophico Rationali, no
jam res Italas Romanorumque triumphos, verum Tua Domusqu
Tuæ Illuſtriſſimæ præclarè facta Nominaque expreſſa, quæ ubi Pontifici

pector

pectori indueris, inter pectorales gemmas Tuas, Te Præsulum gemmam & gemmarum Coronam relucere non dubita. Vive Præsulum Gloriosissime ætates Ecclesiæ perennes, Patriæ aureas, pupillis Musis beneficas, Te longævum, Felicem, fortunatum, dibaphis Muricibus purpuratum Præsulem, Te inquam

Te cuncta loquatur
Tellus, Te varijs scribant in floribus horæ,
Longaque perpetui ducant in sæcula fasti.

Ita precatur

E voto Philosophicæ Palladis Ho-

nori WYZYCCIANO devinctissimæ

Ignatius Sienkiewicz

Philosophiæ Rationalis Auditor

FVNDAMENTVM
RATIONALIS PONTIFICIOPHILOSOPHICI
TEXTVS SACER EXOD. 28.

Rationale Iudicij facies opere Polymito, iuxta texturam superhumeralis ex auro, Hyacintho & purpura, coccoq; bistincto vers. 14.

Ponesq; in eo 4. ordines lapidum, in 1. versu erit, lapis Sardius & Topazius & Smaragdus vers. 17.

In 2. Carbunculus & Sapphirus & Iaspis vers. 18.

In 3. Lygurius, Achates, & Amethystus: vers. 19.

In 4. Chrysolitus, Onychinus & Berillus inclusi in auro erunt per ordines suos vers. 20.

Portabitq; Aaron nomina Filiorum Isràél, in Rationali Iudicij super pectus suum, quando ingreditur sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum vers. 29.

Pones autem in Rationali Iudicij, Doctrinam & Veritatem, *quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino* vers. 30.

GEMMA. PRIMA
RATIONALIS PONTIFICIOPHILOSOPHICI
SARDIVS.

In primo versu, id est in prima linea vel serie Rationalis Aaronici, erat lapis Sardius, in Hebræo dictus Edem, à Verbo Adam, quod significat rubrum, est enim gēma hæc rubei coloris, quam Arias Montanus putat, nomen accepisse a sangvine, cujus colorem refert, esseq; eandem cum nostro Rubino. In hac prima Gemma, elucet Rationalis scientiæ.

 VERI-

VERITAS PRIMA

Rationalis ſcientiæ eſt, neſcire artem.

HAnc Rationalis ſcientiæ & Veritatem & Naturam, Color rubeus Sardij depingit, teſte enim Iſidoro lib. 18. Etimol: cap. 7. de color: Color rubeus, hanc ſpeciem a Natura habet, cum tamen plures alij colores finguntur aut arte, aut aliorum colorum permixtione. Ita, & Sardius Naturali purpura gloriatur, & Regina ſcientiarum Logica, Artis fictiones fucoſq; non admittit, nativa ſciendi & contemplandi venuſtate contenta.

DOCTRINA ETHICA I.

BArtholomæus Anglicus lib. 16. de proprietatibus gemmarum. cap. 89. teſtatur, gemmam Sardium licet ſit pretioſa & pulchra, a multis tamen reputari noviſſimam. Quid illuſtrius arte? quam Ducem naturæ appellat Tullius, ejuſdem formatricem vocat Fabius, cujus demum utilitatem Galenus appoſito ſanè ſchemate proponere videtur, dum Fortunam ex una parte collocat, gubernaculum manu tenentem, cœcam illam, globo inſiſtentem volubili, paſſis per humeros crinibus: Ex adverſo verò Artis inventorem Mercurium, vigentem corporis & animi viribus juvenem, acribus oculis, cubo, id eſt quadrangulari lapidi inſidentem: nempe in Fortuna naturam expreſſit; quæ licet ad ſapientiam aliquid conferat, cœca tamen eſt ac inſtabilis: Mercurius verò Artis imaginem exhibet, quæ, ut ait Cicero *in unum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur.* Hos titulos ſplendoreſq; artis, nativæ retinens caliginis, averſatur Logica, vel quod verior hic Sardius, pretioſa ſcientiarum gemma, Philoſophicæ memor profeſſionis, noviſſima reputari, & ſub nominali caligine latere

tere perambiat, non ignara, plerumq; incultas esse ædes intus, quæ foris nitent: res magna, unionis naturam sequitur, pretiosissimus Thetydis fætus: rudi conchâ tegitur, nec obvium nec vulgare est, quod pretiosum: vel quod divinarum humanarumq; scientiarum anteambulo scientia, Divinitatis naturam imitatur, cui utiq; nil erat solenniùs semper, quàm sub nube & latere & apparere, hinc forsitan maximis Religionibus, lucos prætexuit antiquitas, quasi majorem venerationem habituris ex abdito. Nunquam clariùs relucent Cœli sidera, quàm de nocte; hinc stellæ in cælo obscuro renidenti, noster inscripsit Menestrerius: *mihi decus ab umbris.*

Clarior obscuro resplendet Cynthia cælo,
Squallida cùm nigræ, tempora noctis eunt.

Plures publicæ lucis filios, privatæ tenebræ pepererunt, pariuntq; indies:

Sub nigra splendorem produnt nam nubila: fies
Clarior unde minus, clarior inde magis.

Iulius II. Pontifex Max: habuit pro Symbolo turrim in rupe, & solem inter nebulas abditum cum lem: *post tenebras spero lucem.* Ita obscuri inter domesticas umbras latitantes, sole tandem clariùs orbi effulsêre Alexji

Babusius. Ignoti major laus est & Gloria, Alexis,
Nunquam tam celebris, nî latuisset, erat.

Plures obscura caligo peperit Fulgentios, plures affectata Serenitas, in orbis busta accendit Phàetontes, ut extinguere: Non unus Tiberius, *ante imperium sine fama fuit, quia latuit, in Imperio infamis, quia non latuit, clarior futurus, si fuisset obscurior.* *Thesaur. Comes.*

DOCTRINA ETHICA II.

ANdreas Baccius de gemmis cap. 2. docet, Sardium valere contra Onychen, nam onyx, qui dicitur habere quas-

quaſdam nocivas qualitates, non poteſt eas in præſentia Sardij, producere ad effectum. cuius artis hoc opus eſt? an non ſola natura has gemmas ita ſibi oppoſuit, ut vel ad ſolam præſentiam alterius, altera ſuam deponat activitatem? Logica ſpeculativa, Sardius eſt, intra ſuæ contemplationis Sphæram, nullam artis patitur activitatem, imò poſtquam contemplativæ ſcientiæ naturam induiſſet, artis naturam in tantùm exuit, ut inter cardinalia iura, principaleſq; ſtatus ſui rationes recenſeat, cum omnia ſciat, neſcire artem. Hæc eadem tam proficua orbi Sardij cum Onyche Æmulatio, magnas illas animas deſignat, quibus pro prima, fortia audendi, arte ſtetit, præſentia magnanimorum facinora obſeruaſſe. Ita Themiſtocli, Miltiadis trophæa ignauum ſoporem excuſſêre, ita languentem Theſei animum, Herculis gloria in mìlle pericula totidemq; protruſit victorias. Iulius Cæſar cum otium nactus in Hiſpania, in Herculis templo picta Alexandri trophæa, attentiùs perluſtraſſet, ingemuit, & quaſi pertæſus ignauiam ſuam, quód nihil tum a ſe memorabile actum eſſet inætate, qua iam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet, ad ſuos converſus ſubiecit: *Hæc Iuvenis Alexander, nos autem quid?* Alexander viſo Achillis ſepulchro, illachrymatus eſt ſtudio gloriæ, & æmulatione virtutis, eumq; felicem prædicavit, cui contigiſſet habere laudum ſuarum præconem Homerum. ita his Heroibus pluribuſq; alijs, ad excelsa facinora, *ſtimulos dedit æmula virtus. Lucanus l: 1 Pharſaliæ*

DOCTRINA HISTORICA

PLinius libro 27. cap: 7. docet, Sardium igneam habere ſpeciem & tranſlucere: Abulenſis ex Dioſcoride, Mardobæus Gallus in ſuo Lapidario, has virtutes Sardio adſcribunt, *gaudium accendere, timorem depellere, acuere mentem, audaciam nutrire, & maleficijs reſiſtere.* En quot quantaq; in uno lapide naturæ miracula! nullius artis induſtriâ ac æmulati-

mulatione comparanda, quæ utiq; naturam arte, tantò potentiorem probant, quantò majora in dies naturæ miracula, & ingeniū *miserâ fortunatius arte experimur*. Respice gēmas, ac in primis gemmarum prodigium Achatem; & in eo innumera naturæ miracula obstupesce. Ioannes Eusebius Nierembergius, vir omni eruditione clarissimus, in sua Philosophia curiosa lib. 8. cap. 5. refert, Venetijs in templo S. Marci, Achatem asservari, in quo naturaliter hominis imago est delineata.

ANdreas Baccius de gemmarum natura: cap. 1. refert ex Camillo Leonardo, qui viderat Achatem cum septem arboribus in una planitie naturaliter expressis: & ex Hieronymo Cardano, qui testatur se tres habuisse Achates varios, unum cum capite Galbæ colore ferrugineo: alium cum multis oculis albis, ac quasi pupilla in medio ferruginea: tertiū cum effigie ignis ardētis, fumi& cærulei. Neq; hoc soli Achati est proprium, nam citatus Eusebius ibidem c. 7. refert, lapidem Ravennatis, quem examinavit Paulus III, in quo invenit absq; ullius artis beneficio, sacerdotem vestibus sacris ornatum, & sacrificium missæ celebrantem, & elevantem SacroSanctam Hostiam.

IN Hispania prope Numantiam, (vulgò soria) lapides reperiuntur, qui eâ parte, quâ confringuntur, Crucis vexillo rubricantur, naturaliter. Insuper non longè a Madrito, religiosè colitur Xti Crucifixi imago, in quodam lapide, naturali penicillo depicta.

DEinde in territorio vulgò dicto Clavio, in quo B. Iacobus Hispaniarum Patronus, contra Mauros acerrimè pugnavit, hodie reperiuntur lapides innumeri conchis & vasculis peregrinorum naturaliter signati; quo ornatu B. Apostolus, in illo bello super equum sedens pugnavit, ita refert citatus Eusebius. Qvis alia innumera in lapidibus & gemmis naturæ miracula recensebit? Plurima uno claudam Achate, scribit Plinius lib. 37. cap. 1. Pyrrhum Epirotatum Regem Achatem gemmā habuisse, in qua no-

Mirando in lapidibus.

miraculum

vem Musæ & Apollo Citharam tenens spectabantur, nullâ arte, sed solâ naturæ solertiâ ac virtute, sponte maculis ita discurrentibus, ut Musis quoq; singulis, sua redderentur insignia. de hoc ita cecinit Mardobæus Gallus in suo Lapidario.

Rex Pyrrhus, digito gessisse refertur Achatem,
Cuius plena novem, signabat pagina Musas,
Et stans in medio Citharam tangebat Apollo,
Naturæ non Artis opus mirabile dictu.

QVid de Irrationali quadam Brutorum intelligentia dicendum; in quibus natura artis & rationis ita supplevit industriam ut superaret, postquam rudis ipsa & iners variarum virtutum & artium magistra evasisset adeò ut in multis rebus, hominē animalium debere esse discipulum, pronunciâret Herophilus.

DOcent inprimis Virtutem animalia: Prudentis effigiem Lege in Paguro, patitur fugitq; occasiones rixarum, dum se inermem uidet, donec armis reparatis valeat. Temperantis formā cape ab Iuana serpente, qui per multos Jeiunus dies inediam colit. Iustitiam avis Diceros docet, excrementa sua venenata & letalia defodiens, ne cui noceant: Religionem Elephanti, qui adorant & salutant Cælum latice Anuli fluvij loti: Ciconia docet pietatem erga Parentes senes, officijs suis eos allevians ac supra se portans. Ossifraga docet misericordiam, derelictos Aquilæ pullos sustentans. Cassiæ aves docent veram amicitiā, nunquā conspiciuntur ab incolis, nisi cùm illarum auxilij opus, contra Locustas. Apum Rex, nullo, vel suavi ac innoxio aculeo, docet clementiam: ipsæ apes fidelitatem in Regem, quærunt aberrantem, gestant infirmum, deserunt nunquam. Mansvetudinem disce à Leone; si cicuretur præ omnibus mitis ac mansvetus est. Fuit Barcinone Leo, qui ut suam frangeret iram tanto animo se compressit, ut subitò exanimaretur. Generositatem infirmioribus parcentem,

disce a

disce a canibus. Indiam petenti Alexandro Magno, Rex Albaniæ dono dederat inusitatæ magnitudinis Canem, cuius specie delectatus Alexander, jussit Vrsos, apros & deinde Damas emitti, contemptim jacente cane; quâ segnitie tanti corporis offensus Imperator, iussit eum interimi: nuciavit hoc fama Albano Regi, itaq; alterum mittens monitum dedit, ne eum in parvis vellent experiri, sed vel in Leone, vel in Elephante: nec distulit Alexander Leonemq; protinus fractum vidit. Postea Elephantem jussit produci non alio spestaculo magis lætatus canis; horrentibus ergo toto corpore villis, primùm latratu intonuit, mox ingruit assultans, belluamq; irruit, hinc & illinc artificiali dimicatione infestans, donec assidua in gyrum currendo vertigine, eum afflixit, ac tandem arreptum postravit, ad casum Elephanti tellure concussâ. A canibus etiam disce fidelitatem. Pyrrhus Epiri Rex iter faciens, vidit interfecti militis canem Dni sui cadaver, pertriduū sine ullo cibo custodire, miseratus hominem sepelire mandat, canem sibi duci: post aliquot dies, dum Rex exercitum lustrat, canis ad pedes Regis iacebat quietus, sed dum percussores Domini sui transirent, summa cum ferocia exilivit & eos invasit, identidem Pyrrho, blandiens, & quasi Significans illos esse: motus Pyrrhus, homines capi, examinari jubet: convictos criminis, plecti.

Christianus Paulinus in observationibus Medico physicis.

DOcent 2. Animantia bruta, præter Ethicam reliquas etiam Moralis Philosophiæ partes: Politicam docent apes, Oeconomicam formicæ, quæ summâ diligentia comparant in æstate hibernam annonam, construunt horrea servandis quæ collegerunt; præcavent indurando ad solis æstum ne corrumpatur triticum, sciunt etiam artem præcavendi ne fruges virescant, capitula enim granorum, corrodunt, quâ, virtus germinalis erumpit, cuius mutilatione fiunt infæcunda. Tres Reipublicæ formas in jisdem invenies, Monarchiam in apibus, unius enim hoc regnum est. In formicis Aristocratiam, parent enim præstantioribus & senioribus. In gruibus Democratiā, quibus popularis est civilitas.

DOcent. 3. Animantia alias artes; artem loquendi disce a Psittaco. Cuidam Comiti de Flasco, Psittacus erat naturaliter humanas voces æmulans, qui cùm aliquando in Culina aliquid carnis assæ clam subduxisset, ab irata coqua fervente aquâ perfusus, capitis omnes plumas amisit, atq; hinc calvus factus est. Cùm verò tempore quodam, hospes quidam calvitie venerandus Comitem inviseret, eiq; ob reverentiam raso nudoq; capillitio aliquandiu adstaret, ab alite sequentibus verbis cōpellatus fuit: *Ha, ha Domine. nonne & tu de carne assata furatus es*. Res admirationem & risum movit præsentibus. Cardinalis Ascanius, Psittacum ducentis coronatis emerat, qui clarè & distinctè sine ullo defectu, a capite ad calcē, doctissimi viri instar, 12. articulos fidei potuit recitare. Psittacus vulgò Papagallus dictus, in India, humanam vocem super omnia edit, adeoq; articulata verba exprimit, ut si eum non videris, hominem locutum putes. Ex natura salutat dicens *Aue* & cætera nomina addiscit. Vnde est illud, Martialis.

Christianus Paulinus in observationibus Medicop.

Psittacus à vobis, aliorum nomina disco
Hoc didici per me, dicere, Cæsar Ave.

MEdicinam quoq; docent animalia. Ciconia enim cùm gravem se sentit, recentes arundinum scissuras speculata, ubi acutiores videt stirpes, corpus ei imprimens venam in crure aperit, & ita profluvio sangvinis exonerat morbidum corpus, tum vulnus limo obducit. Palumbes & Merulæ superfluos humores expurgant, Lauri degustatis folijs. Canes & feles ut allevient ventrem, quoties nimiâ colluvie sentiunt viscera oppleri, gramina rore perfusa comedunt, Aritmethicam Simij usq; ad stuporem noverunt: Oculatis testibus compertum est, in Peruana Regione Simias tantam cum incolis familiaritatem contraxisse; ut cum ijs pro argento colludant, & ubi eos vicerint, simul tabernam petunt bibendi causa, & pretium numerant ex lucro parto. Hæc sunt naturæ miracula

Nierembergius Hist. nat. lib. 1. cap. 13.

Medicina

quæ rara ſint licet, in multis tamen quotidiana toties experimur. quoties non vulgares naturæ dotes, omni arte potentiores demiramur. Ovidius Forenſi ſtudio, Patris voluntate, quamvis invitus ſe primis annis addixerat, ſed ingenio ad Pòéſim formato, pro legum juriſq; repetitione continua carmina profundebat. Vt, ipſe teſtatur 4. Triſtiũ.

Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam dicere, verſus erat.

MEnander Comicus ſupra ætatem ingenioſiſſimus, cùm apud ſuos invidiâ laboraret, produxit in theatrum ſuem prægnantem, eiuſq; exſecto utero, fætum inde protractum proiecit in Euripum, ibi cùm porcelli ductu naturæ acti, natarent, *Athenienſes inquit (viri) ſi in teneris annis ſcientiam meam miramini, iſtos natare quis docuit?*

INter Aſculanum & Dantem Pòétas, orta fuerat quæſtio, natura an ars eſſet validior? arti ſubſcribente Pòéta Dante, naturæ ſuffragabatur Aſculanus. Erat Danti Pòétæ Catus, qui arte inſtructus, ante eum dum legeret vel cibum ſumeret, lumen tenebat. Pòéta Aſculanus, naturæ vim Viribus artis validiorem domeſtico exemplo comprobaturus, in ſcutula duos mures portavit, & ante catum lumen tenentem dimiſit, catus mox proiecto in terram candelabro, naturæ vim ſecutus Mures inſequi cæpit, ſicq; naturam ab Artis induſtria, ad ſua iura redeuntem, arte potentiorem comprobavit.

GEMMA SECVNDA TOPAZIVS

GEmma Topazius 2. loco fulgebat in pectore Pontificis: Montanus lib. 3. de veſtibus Sacerdotalibus cap. 11. Theophraſtus apud Alcazar in cap. 21. Apoc: viridis eſſe coloris & æmuli Smaragdo Topazium ſcribunt: in hac virenti gemma, elucet rationalis Philoſohiæ,

Ars et natura

VERITAS SECVNDA

Plurimus labor Logici est, scire nihil facere.

LOgicam purè speculativam hæc Veritas indicat, Topazius in se spectabilem proponit. Viridis nempe Topazij color, modorum sciendi, ab omni materia determinata avulsorum venustatem adumbrat; qui hoc ipso Topazij, gemmæ scilicet virentis nomen merentur, quod natos ad cōtemplandum oculos intellectûs, adeò delectent, & recreent; ut in sola illorum contemplatione defixus, plurimùm in eo laboris reponat, ut sciat nihil facere. Anaxagoras philosophus interrogatus, cur in vitam mortalem editus esset? respondit, ut *cælum aspicerem*: Rationalis philosophia, non ad aliud est nata, nisi ut domesticum in modis sciendi Olympum contempletur, nec æquum censet, erectos ad trina hæc sciendi sidera vultus, ad practicas curas, & opera manuum hominum, inclinare; hinc tota illius occupatio, perennis contemplatio est, hinc *quanta, quanta est, & esse & dici speculativa scientia desiderat.*

DOCTRINA ETHICA I.

ABulensis ad caput 28. Exod. sic de Topazio scribit: *Iste est Lapis habens colorem commixtum ex auro, & cælesti, & ante solem positus, super cæteras gemmas elucet.* Otium negotiosum, seu otium sapientis, speculationem videlicet gemma hæc in se adumbrat, quam solis aspectus: aureis cælestibusq;, absq; labore & penicillo coloribus depingit, ita mens per contēplationem tantò celsiùs coeloq; viciniùs assurgit, quantò profundiùs se soli coelesti otio immerserit, ut non immeritò in hunc Topaziū coronaria cæli lumina confluant, & in unum innumera

con-

concentrentur: Hoc demum beatum otium nempe veri boni contemplationem super practicos labores curasq; hominum efferunt sublimes sapientum pennæ ad illudq; provocant omnes *tu memento interdum reddere te ipsum tibi, utere quoq; te, inter multos aut certè post multos. Otium est vacare: Deo, imo negotiorum negotium, in quo nullum admittitur otium.* Et Augu: lib. de Civit Dei. *Nemo bonus negotium quærit, nemo improbus, in otio fructuoso conquiescit.* Enim verò ut ait Euripides, *qui agit plurima, plurimùm peccat.* Hinc Seneca, in Epistolis suis, otium istud, prudenti viro passim svadet, *quo ex actionum tumultu, tanquam in portum te tandem recipias, ubi te te primúm, deinde humana pariter ac divina cognoscas.* Huicq; subscribens agit: *Crede mihi, plus agunt, qui nihil agere videntur.* sequitur Tullius Senecam 2. de Orat: *mihi js liber esse non videtur. qui non aliquando nihil agit.* Hinc in Tusculum suum abire solebat, ut qui Romæ, Reipublicæ quodammodo fuerat, in Tusculano suus esset; ita enim de se ipso scribit, *Moror in Tusculo meo semiliber,* quasi à Reipublicæ curis magna pars libertatis perijsset, & ab otio tota redderetur. Ciceroni consentit Seneca. Ep: 81. *secessi non tantùm ab hominibus, sed etiam à rebus, & primum à meis, posterorum negotium ago.* Huic otio, ut negotiosiùs vacarent veri sapientes, Oeconomicas rerum temporalium curas, in alios transtulerant: ita habuit suum Origenes Ambrosium, Hieronymus Chromatium, Bernardus fratrem Viterbij defunctum, ut paternæ domùs curarumq; leva, men, Franciscus Elia suo, ob rerum experientiam carere non poterat. & ut antiquiora sæcula attingam: habuit suum Socrates Critonem, Epicurus Metrodorum, Apollonius Damidem, cæteri alios, curarum humanarum suffetios, cùm interim ipsi in otio cælesti (ut verbis Tullij utar) *unquam minùs otiosi quàm cùm otiosi, nec minùs soli quã cùm soli essent.*

DOCTRINA ETHICA. II.

VIncentius, Arnoldus, Berchorius, Rueus apud Alcazar, docent Topazio attemperari ferventis aquæ ebullitiones, nec eam efferveſcere pati, quamvis maximus admoveatur ignis: quibus addit Vincentius, ſi ſupra rem bullientem ſuſpenditur, ceſſant ampullæ: quin etiam Rueus aſſerit, ſi annulum ex Topazio factum, quiſpiam teneat manu, poſſe eum, intra ferventis aquæ lebetem, manum ſecurè inijcere. Nullus Ætna, Tænarijs licet ignibus exæſtuans, nullus Veſuvius tantis Orbem incendit ac conſumit calamitatibus, quàm inflammata Regum ira, *tantæ ſcilicet ſunt animis cœleſtibus iræ*. Deſiderat Princeps efferveſcẽtes flammas, & in damna populorum erumpentes reprimere, habeat præ manu Topazium, adſit conſideratio, conſilium, ſtatera mentis, contemplatio, & cùm plurima poſſit, ſciat nihil facere; quæ Principe digna ſunt cogitet, nempe quod.

Dijs proximus ille eſt,
Quem ratio, non ira movet.

SEquatur Princeps Effatum Iuvenalis ſat. 13. *Vt ſit magna, tamen lenta ira Deorum eſt.* Id præ oculis habuit ſapiens Athenodorus, qui Auguſto Imperatori, id conſilij dedit, ut iratus nihil diceret faceretve, priuſquam Græcum Alphabetum totum recitando percurriſſet, ut iræ ardor, in ipſo ortu, magni animi cogitatione opprimeretur. Verũ in eo genere longè humanior, ut Evangelio excultus Imperator Theodoſius; qui legem tulit quâ cavebatur, ut dies abirent 30. priuſquàm ſententia Capitalis, executioni mandaretur, hinc de illo Ambroſius oratione in obitu eius ait; *Tunc proprior erat ueniæ, cùm fuiſſet commotio major iracundiæ, prærogativa ignoſcendi erat indignatũ fuiſſe, & optabatur in eo, quod in alijs timebatur, ut iraſceretur.* Sanè multi, miris laudibus extollunt celebre illud dictum Archytæ cùm meri-

meritò in servum excanduisset: *sumpsissem* inquit *a te supplicuim, nisi tibi iratus essem.* Hoc exemplum sit præ oculis, pendeatq; ad pectus Principis, veluti divinus quidam Andromadas, quem lapidem ita nuncupatum ajunt, quòd accensas animorum extingvit iras. Sit præ manu Topazius, lenta deliberatio, quâ quia carvit, demens erat Cyrus, qui in transitu Gyndis Fluvij, ob raptum fluvij vorticibus eqvum & mersum, irâ incensus ductum contra Babilonios exercitum, contra fluvium vertit, & tamdiu incubuit operi, donec 180. cuniculis divisum alveum in 360. rivos dispergeret & siccum relinqueret. Hinc orta de illo paræmia *Cyri dementia Gyndes.* dementior Xerxes, qui Hellesponto, 300. verbera inflixit, Impius & stultus Sapor Persarum Rex, qui divinitus, Njsibi impedita obsidione, discessurus, in Cælum sagittam quasi DEVM læsurus, ejaculatus est. Abulensis ait, Topazium valere contra phrenesim: Ira phrenesis quædam sævior est, quam utiq; brevem insaniam vocat seneca, & juxta Venusinum vatem *Ira brevis furor est.* Horat lib. 1. Ep:

DOCTRINA HISTORICA

PLinius lib. 37. scribit, Iubam Mauritaniæ Regem, invenisse Insulam Topazion in mari rubro, & inde gemmam quæ in ea reperta est Topazij nomen accepisse: nascitur idem lapis in Carmania sed inter altissimas rupes, &ut in Topazio Insula, ita hîc inter nebulas densissimas: & tamen Vincentio &- Berchorio teste, Topasius omnes gemmas pretio & claritate superat. D. Ambrosius ait, auro similem esse Topazium, cùm solis splendore percutitur. Nihil vulgo hic lapis debet, quē ita vulgi oculis natura subtraxit; ut non nisi interprofūda, nebulosaq; terræ viscera conceptus & ortus, soli tantùm suum & pretium & splendorem referat in acceptis: solitudinis & remotæ á strepitu vulgi Cœlestiaq; speculantis mentis hic lapis Symbolum est *P. Barry solitudinis die 1.*

 men.

mentis inquam contẽplativæ, cui nihil ſolenniùs eſt, quàm pretioſam eſſe, nec videri, plurimùmq; facere, cùm nihil agere videatur: Huius veritatis exemplum eſt in pretioſiſſimo Salvatore, qui ante Apoſtolicas curas, ſeceſſit in deſertum. Ducem ſecuti ,innumeri milites, ex quibus, Hieronymus purpuratus Eremicola, Eremum ſuam Vrbanis præfert palatiis. cap. 4. ad Ruſticũ Monachum: *Mihi oppidũ carcer eſt, ſolitudo Paradiſus.* Carolus V. cum orbis ſtupore à mundi ſtrepitu, & Imperij luce ſe ſubduxit, de quo Sachinus, noſtræ Societatis Hiſtoricus ait: *Carolus Maior fuit in Eremo, quàm in Imperio*

Philippo Nerio Romæ habitanti, Deus ipſe hoc monitum dediſſe fertur. *Philippe in vrbe Roma, tanquam in deſerto vivendum eſt.*

P. Barry ſolitudinis die 1.

ISabella Aragoniæ Regina, in regiam teſſeram aſſumpſerat duos flores, unum qui dicebatur Selenitropus, ſive flos Lunæ alterum, qui vocabatur Hiliotropus, ſive flos ſolis cũ Lẽ: *Sequor & æternũ ſpecto.* Regius planè aſpectus eſt, ſpectare Deum & Cœlum; uti vile nimis ac infame, cælum tueri iuſſos vultus & oculos, in creaturam defigere, ut meritò inſcribi poſſit, *ſignis tu una, quos mundo debes oculos.*

HAnc etiam æternorum contemplationem, otiumq; beatum, irrationales creaturæ nobis in ſe proponere, ac commendare videntur: Manucodiata id eſt avis Paradiſi, ſive Dei, caret pedibus in àére ſuſpenditur, volatuq; perpetuo, in ſolem fertur; hinc teſte noſto Iarricio a Luſitanis vocatur *Paſſaros de ſol* id eſt avis ſolis. huic avi, ſi in terram deturbari caſu aliquo contingat, facilè capitur: In àére ergo velut in arborum ramis, & ſuper terram iacet, nec mirum hoc videri debet, parvitate enim carduelem vix ſuperat, cùm pennarum ambitu aquilis non cedat; rore vivit, vaporibusq; & fortè animalibus parvis, ſi quæ ſunt in àéris parte excelſiori, providente natura, ut quæ non niſi in àére pendere poterat, nullo ibidem egeret alimento, & cùm ieiuna continuò inteſtina ſunt, carnoſum tamen,

men, & satis pingve corpus reperitur *Nierembergius hist: Nat: lib 1. cap. 13.* qui Author eandem avem sic loquentem inducit.

Me vita pauper, iure ditat cælico.
Conviva sum Dîs, bibo florem nectaris,
Collega sum compar, ob inopiam Iovis,
Divinitatis ars, habere nihil fuit.

AVis hæc animæ, Cæleſtem vitam agentis Symbolum eſt, cui meritò inſcribi poteſt *Cæleſti veſcitur aurâ,* vel, *tantùm cæleſtia quærit* vel, *ſine pondere ſurſum.*

IN Regione Saracenorum, reperiuntur aves Soractes, dictæ, quæ, à Dominica Paſſionis, uſq; ad Reſurrectionis diem, nec canunt, nec volitant, ſed quaſi emortuæ, pennis inſtar Crucis extenſis, frondibus arborum implicatis pedibus, ſe ſuſpendunt. Addit Bartholomæus a Camer. quod ſub Ecclypſim Lunæ in his avibus cor rigore quodam ſaxeo ſtupeſcat, & oculi denſiſſima caligine ecclipſentur. *Speculum Exemplorum lib 9.*

HErba Mimoſa dicta, eleganti virore prædita, ſingulis noctibus ſole occidente ſeneſcit, & ſiccatur ſic, ut contabuiſſe videatur, oriente verò ſole vigorem denuò recipit, ſic anima humana tantùm viget: quantùm ad æternitatis ſolem ſe convertit.

AStrion Lapis, Cryſtallo ſimilis, in centro ſtellam continet lucentem, fulgore Lunæ plenæ: dicitur Aſtrion ideò, quòd aſtris oppoſitus, fulgorem ab ijs rapit, poteſt illi inſcribi, illud encomium. *Iſidorus li 15. cap. 13.*

Cælum ſcrutatur in alto,
Cognatumq; ſequens corpus, ſe quærit in aſtris. Manilius.

SYnodites puſillus Lapis, ſolem habet impreſſum in ſe & Lunam: hic lapis, Symbolum eſt, animæ per concontemplationem, Deo adhærentis, de qua dici poteſt illud Pòétæ. *Tantùm ſpectabat euntis*
Ora Dei, vultusq; ſuos flectebat ad illum,

GEM-

GEMMA TERTIA.

SMARAGDVS

SMaragdus, tertium locum tenuit, in pectore summi Sacerdotis, & eundem inter gemmas obtinet, teste Plinio & Isidoro lib. 16. Etymolog. cap. 7. In hac gemma, elucet Rationalis Philosophiæ,

VERITAS TERTIA.

Logicus tunc disertissimus est, cùm caret voce.

VEritas hæc elucet in Smaragdo quem Majolus dierum Caniculariũ coll: 18. de Lapidibus, testatur tantùm valere, ut ferocissimæ quæq; belluæ, in Cypro perterrefieri, & infugam agi consueverint, ob oculos è Smaragdo positos, in Leonis quadam statua; tantùm ecce vis tacita valet Smaragdi, quantùm fortè mille venatorum in vnum sonantes clamores non valerent. Desiderat Philosophus, cum Pericle tonare, fulminare, infensas patrio solo Græcias permiscere, Appetit hostiles belluas, a finibus Patriæ deterrere, præ oculis, in lingva Smaragdum gerat, nempe amantem silentij sapientiam. Hinc etiam *Voces ab obiecto Rationalis Philosophiæ excludimus;* quia rerum virum non verborum, factisq; magis quàm verbis disertum Philosophum desideramus.

DOCTRINA ETHICA I.

ABulensis ex Dioscoride hos effectus Smaragdo adscribit: *reddit persvasoria verba. memoriæ confert, visum acuit,* Nondiffiteor, plurimùm in Societate humana valere voces, imò si adsit par vocibus & hominibus virtus, potentissimis viribus & viris, nomina ipso pæne timenda sono evadunt.

Ita

Ita pro omnibus armis,
Et castrorum opibus, dextrisq; potentibus, unum
Annibalis sat nomen erat, Silius lib. 16.

Ita de altero alter Pòeta. *plus nominis horror* Claudi. de bello Gildonico
Qvàm tuus ensis agit,

QVid, quòd voces non vulgarium quandoq; sunt indies eventuum? imprimis enim sæpe simile nomen, similis fortuna sequitur: omnes ex gente Æacidarum nominis interprete nece, divinitus occubuerunt. Iulias plures, magna ex parte impudicas legimus, scilicet Iuliam Augusti filiam & neptem, quas ille duo Carcinomata, appellare solebat, & in exilium missas, vetuit suo inferri sepulchro. Alexander Pontifex II, III, & V, Schisma & Antipapam, sunt experti. Alexander verò VI, secessionem primorum Antistitum. Duo Bruti, assertores libertatis Romanæ fuerunt, eamq; tuendo fortiter occubuerunt. Sæpe etiam simile nomen, dissimilis fortuna sequitur, ita qui primus Imperator fuit Romæ, vocabatur Augustus, qui ultimus Augustulus. Valent igitur plurimùm voces; at longè illis validius est, disertũ sine voce silentium, nec quidquam ita reddit persvasoria verba, quàm verior Smaragdus, nempe tempori accommoda taciturnitas: hâc quia caruit Anaximenes Orator aliàs facundus, cùm Orationẽ suam ordiretur, fertur dixisse Theocritus: *Incipit verborum quidem flumen, mentis autem gutta.* Garrulis ejusmodi Psittacis, bene inscripsit noster Menestrerius: *Dant sine mente sonos, & vox hominis, cætera brutum.* Oportuna taciturnitas famam, importuna loquacitas infamiam parit. Hinc de quodam Pòeta. Volaterranus lib. 16.

Cùm te non nossem, Dominum Regemq; vocavi:
Cùm bene te novi, jam mihi Priscus eris. Martialis

INter Regias dotes insigne est & simillimũ oblivioni silentium. Regi (ait Seneca) viciferatio non ex majestate est. Et Augusti- Barclaius l. 3. Argenidis cap. 7.

Taciturnitas et loquacitas

nus, *in emittenda voce, nonne quod præco bene facit, etiamsi clarius ac meliùs facit Senator insanus est?* Certè Plutarchus, laudat Homeri exquisitum in hoc judicium, quòd cùm de copijs loqueretur, tum Phrygum, tum Græcorum, illos ait in campum ut Barbaros processisse consimili clangore gruum, vocem attollentes, quippe subdit Plutarchus: *Vociferatio Barbarorum est, silentium Græcorum.* Catoni etiamnum adolescenti, vitio dabatur nimia taciturnitas, qui respondere solebat: *Carpant taciturnitatem, dum vitam probent. ego tum demum abrumpam silentium, cùm loqui potero indigna silentio.* Demosthenes, cùm Adolescens quidam inter pocula, multa effutiret, subjunxit: *quomodo non didicisti tacere ab illo, à quo didicisti loqui?* bene de tali Pòéta.

Cresolius de selectis virtutibus sect: 13.

Frustra Magistrum, qui loqui doceat rogas,
Tacere qui doceat pete.

Plutarchus. lib: 9.

HInc Isocrates, ab altero Catone ad suàm disciplinam aspirante, duplicem mercedem postulabat, causam roganti respondit. *Vnam inquit dabis ut loqui, alteram, ut tacere discas.* Ita taciturnitas, ad rectè loquendum est necessaria, attestante enim Sancto Laurentio Iustiniano: *Taciturnitas, bene loquendi principium est.*

Masenius lib: 2. famil. arg.

DOCTRINA ETHICA II.

MIrum est, quod de Smaragdo refert Andreas Baccius cap. 5. nempe, ad Smaragdi aspectum, si diutiùs eum intueantur, serpentis oculos difluere. Nec fabulosum hoc censerem, cùm D. Ambrosius lib. 6: Hexam cap. 4, testetur jeiuni hominis sputum, si serpens gustaverit, statim mori. Nihil magis Patriæ salutare, nihil magis hostibus pernitiosum, quàm consilia sine voce, idest arcano pressa silentio. Verior hic Smaragdus, exitialis semper erat, hiantibus in Regna aliena Draconibus; hinc maximis quibusq; rebuspublicis, semper pri-

ma

ma cura fuit occultorum conſiliorum. Apud Perſas Reges, nemo conſiliorum fuit conſcius, præter Senatores taciturnos & fidos, apud quos ſilentij qvoq; Numen colebatur. Lex Ægyptiorum iubebat, abſcindi illi linguam, qui arcana Reipublicæ, quæ tecta eſſe deberent, alicui detexiſſet. Apud Romanos in gravioribus conſilijs Reipublicæ, maximè in conſilijs bellicis, revelantibus conſilia, pæna Capitalis fuit, exſtat & Lex Romana apud Paulum Iuriſconſultum, cap. ſi quis aliquid 38. § transfugæ. quæ mandat, ut conſiliorum publicorum renunciatores, ut transfugæ vivi exurantur, furcæ ſuſpendantur. In Balearibus Inſulis, laudabilis ſanè mos viget ſecretorum conſiliorum, Senatores enim ſecreta comitia inſtituturi, in campum proficiſcuntur ibiq; profundiſſimo effoſſo antro, inclinatas facies illi ſpeluncæ ingerunt, ſicq; de Republica diſceptant, conſultantq;. finitâ conſultatione antrum illud terrâ implent, campoq; reliquo planitiem æqualem faciunt. Nēpe non bene, in apertis campis, & conclavibus, belli paciſq; fiunt occultanda conſilia, quæ ventis celerior rumor excipit, per genteſq; inimicas differt ac ſpargit. Dum Midæ Phrygij Regis, iuxta morem, tonſor capillos capitis minueret, advertit apud Regem *aures aſini*; Verecundiâ ſuffuſus Rex obſecravit, imò & ingenti pretio obæravit tonſorem, ad rem ſecreto ſepeliendam, ſervavit promiſſi fidem homo inter homines: verùm in campo quodam, inter confertas arundines deambulans, tacito ſibilo cannæ cuidam paluſtri inſuſurravit, *Midas habet aures aſini.* Mox ſibilus ille, ab una ad aliam pervolavit arundinem, adeo ut vix flante vento, mox toto campo verba illa reſonuerint, ad vrbemq; Regiam pervenerint, *Midas habet aures aſini.* Fabula hæc docet, nullum tam ſecurum, tam arcanum eſſe locum, cui ſecretum ſecurè committi poſſit. Servandum igitur ubiq; Homeri monitum *Dicendum eſt aliquid, contra aliud reticendum.* Implevit ex

asse monitum istud; Papyrius Romanus etiamnum puer. Mos Senatoribus Romæ fuit inquit Gellius, in Curiam cum prætextatis filijs (id est qui 12. ætatis annum excesserant) introire: tamen cùm in Senatu res major quæpiam consultata, eaque in diem posterum dilata esset, prohibitum est, ut eam rem super qua tractavissent, nemo enunciaret, priusquam decreta esset. Mater Papyrij pueri, qui cum Parente suo in Curia fuerat, percunctata est filium quidnam in Senatu Patres egissent? Puer respondit tacendum esse, neq; id dici licere: mulier fit sciendi cupidior. secretum rei & silentium pueri minis & precibus aggreditur, compressiùsq; ac violentiùs quærit: tum puer matre urgente lepidi atq; festivi mendacij consilium capit respondetq; *actum in Senatu num videtur utilius, exq; Republica esse: Vnus ne vir ut duas uxores haberet, an ut una duos viros?* hoc illa ut audivit domo trepidans evolat, ad cæterasq; Matronas percurrit. Ad Senatum ergo postridie Matronarum Romanarum catervæ veniunt, lachrimantes atq; obsecrantes orant, una potius ut duobus viris nupta fieret, quàm ut uni viro duæ. Senatores, quæ illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio illa vellet? mirabantur: tum puer Papyrius in medium Curiæ progressus quid Mater audire institisset, quid ipse Matri dixisset enarrat. Senatus fidem atq; ingeniū pueri exosculatus, decrevit ut posthac pueri cum Patribus in Curiam ne introirent, nisi ille unus Papyrius, atq; puero postea cognomentum honoris gratiâ inditum, *Prætextatus*, ob tacendi loquendiq; in ætate prætextata prudentiam. Rectè Cæcilius Metellus dicere solitus, *si indusium meum conscium secreti scirem, extemplò illud exurerem.* Pompeius dum Legatus a Gentio Rege interceptus, Senatus Romani consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum, cremandum præbuit, eâq; patientia Regi simul & desperationem tormentis quidquam cognoscendi excus-

sit, & expetendæ amicitiæ Populi Romani cupiditatem ingeneravit: non ignoravit nempe Magnus, parum esse rectè deliberare atq; consulere, arcana nisi consilia silentio obsignentur. Hinc bene Isocrates, *diligentiùs tuenda sunt deposita verborum, quàm nummorum*. Prædicanda sanè Consistorij Spirensis constitutio est: *In senatu gesta, dicta, judicata, æterno silentio tegunto, nihil injussu Cæsaris revelanto*. Ob hanc forsitan causam, Curiæ consiliorum, silẽtium olim appellabantur ut scribit Paulus Diaconus historicus Miscell. lib. 22. & lib. 21. ait *Leonem celebrasse silentiũ in Tribunali decẽ & novem* accubituũ cõtra Sanctas imagines. & lib. 23. Irene facto silentio in triclinio Iustiniani remisit tributa, locus ille vocabatur *silentiarium* : silentiarij vero dicebantur, qui ibi excubabant: Et apud Zenonem Imperatorem, institutum fuit officium Silentiarij Magni, hoc verò munus tantæ erat dignitatis, ut illud etiam gesserit Anastasius Zenonis in Imperio successor, cùm prius fuisset Magnus Silentiarius, cui vi muneris incumbebat præcavere, ut omnia consilia tacitè sine clamoribus & strepitu absolverentur. Observent ergo Optimates Reipublicæ, & Consiliarij Regum, monitum Tullij, *loco Senator & modo orato*, imitentur Deum Silentium, quem Cælius proponit toto corpore oculeum auritumq; , sed astomon, sine ore: cui inscribi potest, quod quispiã cælo sideribus distincto innumeris, inscripsit: *Oculorum multum lingvæ nihil. P. Menestrerius.*

DOCTRINA HISTORICA.

SMaragdus peregrinas impressiones non patitur: nam in luce, in umbra, eodem modo mittit & lenem & svavem splendorem. Peregrinæ impressiones primò sunt monstra linguæ. scribit Diodorus de Iambolo, in Insula meridionali repertos fuisse homines, lingvæ bifidæ, atq; bifulcæ ossiumq; mobilium, & qui pluribus simul re-

sponde-

sponderent. Inveniuntur etiam serpentes in lingua monstrosi teste Aristotele, lib. 2. cap. 17. de animalibus; *serpentibus* (ait ille) *summa eorum lingva bifida est* : quin eisdem etiam tripartitas esse lingvas, tradit Plinius lib. 11. cap. 13. Bifidæ, bifulcæq; lingvæ, denotant eos, qui non cum Principibus, sed cum Fortuna Principum loquuntur, & ad fortunæ mutationem, horum quoq; Aulæ Vertumnorum, vertuntur lingvæ & sententiæ. Ad aspectum principis assidui Laudenses & Placentini, occinunt cum Harpago *Mihi placet quid quid Rex facit:* post cortinam aliud hi Græculi mussitant.

Pompeianus ego, si vicerit omnia Magnus.
Omnia si Cæsar, Cæsarianus ego.

ITa fortunā peramq; Regū non unus *venali comitatur Curio linguâ, ita lucri adstrictus compedibus lingvæ vendit obseqvium, & dum animus habendi libidine subjugatus, præsumptum jam temerè existimat compendium, sic ingruentia per lingvæ exercitium, nescit timere discrimina. Ita plerīq;.*

Euodius pro Symmacho Pap.

Clamosi rabiosa fori jurgia vendunt,
iras, & verba locant. *Seneca in Herc Furent.*
Lingvas & iras vendimus, & manum.
Hâc unde nummi, aura refulserit,
Sparsiq; tinnitus ad auri,
Sollicita vacat aure vulgus, Sarb. lib. 1. od. 5.

SEcundò, fuerunt, qui peregrinarum lingvarum peritiam, vitiosas lingvæ impressiones censuerunt. Tiberius quamvis in lingva Græca valde promptus & facilis erat, nunquam tamen illâ utebatur, imò in senatu, tanquam vitiosâ abstinuit adeò, ut Monopolium dicturus, priùs veniam postulaverit, quòd sibi peregrino verbo utendum esset. Alcibiades reprehenditur à Galeno, quòd lingvarum cumulo uteretur, unam enim tuendam esse censet, habebatur enim tunc pro miraculo si quis duas lingvas novisset. Vndè & Geryonem, ut mon-

ſtrum tricorporeum fingunt fabulæ, & tria corda habentem, propter tres lingvas, quas callebat. Item Erychtonium hominem biformem, parte corporis inferiore Draconis, ſuperiore hominis fabulantur, ob Ægyptiæ Græcæque lingvæ peritiam. Teſtatur & Gellius Ennium, tria corda ſeſe habere dixiſſe, quod loqui Græcè, Oſcè, & Latinè ſciret. Britanni, mulieribus exteris lingvam præcidiſſe ſcribuntur, nè filios ſuos, peregrinum docerent idioma.

Verùm ego cenſeo, ad utilitatem Reipublicæ pertinere notionem lingvarum diverſarum, id ſvadet exemplo ſuo Paulus 1. *Cor.* 14. *Si enim (inqvit) neſciero virtutem vocis ero cui loquar barbarus, & qui loquitur mihi Barbarus.* Et infrà *Gratias ago DEO meo, quod veſtrûm lingvis omnium loquor.*

PRinceps Principumque Legati, maximum faciunt incrementum dignitatis ſuæ, ſi per ſeipſos, non per interpretes cum varijs loqui poſſint. Mithridates Ponti atque Bithyniæ Rex, duarum & viginti gentium, quæ in ejus Regno erant, lingvas perfectè calluit, ita ut omnes ſubditos, quemque ſuâ lingvâ, tam promptè & ſcienter alloqueretur, ut nullam aliam nôſſe videretur. Craſſus cùm Aſiæ præeſſet, quinque Græci ſermonis differentias, ſic tenuit, ut quâ quiſque apud eum lingvâ poſtulâſſet; eadem ſibi jus redditum ferret. Cato Cenſorius, cùm Populi Romani nomine, Legationem apud Athenienſes obiret, quia Græcè ipſe neſciebat, per interpretem locutus eſt, ibi quòd ea quæ pauciſſimis verbis Cato dixerat, interpres vix longis ambagibus referret, Athenienſes, Orationum diſſimilitudinem mirati, *Romanis ſermonem in pectore, Athenienſibus in ore naſci dixerunt.* tantùm ſcilicèt, à genuina Authoris mente, interpretis Orationem diſtare judicarunt, quantùm inter cor & labra eſt interſtitium.

Themi-

Themiſtocles, cum Athenis profugus, ad Regem Perſarum conceſſiſſet, animi ſui petitionem exponere noluit priusquam Perſicam lingvam didiciſſet, ut ſine interprete cum Rege loqvi poſſet. Turcæ barbari licèt, & à literis maximè alieni, cum re ipſa lingvarum videant utilitatem, *quot lingvas quis callet, totidem viris eum æquivalere vulgato proverbio dictitant.*

GEMMA QVARTA CARBUNCULVS

In ſecunda gemmarum Rationalis Pontificij ſerie, Carbunculus imo, in Pectorali quarto gaudebat loco, in hac gemma Rationalis ſcientiæ elucet

VERITAS QVARTA.

Logicus tunc etiam loqvitur verum, cùm dicit falſum.

PAradoxum hoc, veram ac infallibilem theſin in ſe recondit, nempe *quòd poſſit propoſitio Logica ſemel falsa tranſire in veram, & vera in falſam.* Hæc tamen theſis reſtringenda eſt ad propoſitiones tantùm contingenter falſas vel veras, & quidem facta ſuppoſitione quòd eadem propoſitio, poſſit durare per plura inſtantia. Logicus ergo tunc vel maximè, dicit verum, cùm dicit falſum poſſe tranſire in verum: atq; hæc veritas elucet in carbunculo, quem dies cælat, nox prodit, ita ſæpe contingit ut ubi veritatis meridianã credis lucem, nec antelucanum adſit crepuſculum, & ubi Cymmerias erroris ac falſitatis noctes imaginaris ſubitò præfulgidi inſtar Carbunculi germana veritas eluceſcit,

GEMMA

DOCTRINA ETHICA I.

ANaſtaſius Nyſſenus, quæſt: 38. de Carbunculo ita ſcribit : Carbunculus eſt formâ quidem puniceus, naſcitur verò Carthagine. Dicunt autem eum inveniri non interdiu, ſed noƈte, nam procul ſcintillans inſtar Lampadis vel carbonis, deinde ceſſat ; dum geſtatur, qualibuscunque teƈtus ſit veſtibus, ſplendor ejus extra amiƈtum apparet. Veritatis hæc gemma ſymbolum eſt, cui nihil magis proprium, qvàm ex objeƈtæ falſitatis nube elucere. ſæpè nimirũ fit ut falſum dicendo dicatur verum; ita nonnemo dum famulum mendacij ſuſpeƈtum haberet, poſtquam eum his verbis fuiſſet aggreſſus, dic mihi veritatẽ nunquid mendax es? ſervus repoſuit, quomodo ut loquar veritatem exigis, ſi mendax ſum ? fatebor verò eſſe mendacem, ut intelligas me non eſſe talem. Ita ſub umbra mendacij clariſſima ſæpe latet veritas: quid nitidius ſole? Pater eſt lucis, & tamen non raró Ecclypſim patitur, lumine nativo in offenso, opacâ nube abſcondi poteſt, non extingvi, premi non opprimi, caliginoſo imbrium profluvio : hinc etiam ſol, veritatis vetus Hieroglyphicũ: latet aliquando hìc Phœbus, at non diu, quia juxta Senecam. *Veritas nunquã latet.* Vre vindicibus flammis, teſtes flagitiorum tuorum paginas, at veritas Phænix eſt, ex cineribus ſurget vivacior. *Vana in membranas ſupplicia, vetito gliſcit veritas, ſplendeſcitq́ per flammam, aliàs obſcurus liber : privatim acriùs legi amant, publicè caſtigata.* Pythagoras inter alia præcepta Symbolica, etiam hoc tradidit, *contra ſolem ne loquaris.* ſolem nimirùm è mundo tollere velle videtur, qui veritatem auferre tentat. Democritus veritatem in puteo profundiſſimo, latere dixit, hinc luſit Pòéta.

Gramondus lib. 1. Hiſtor. Galli

Si latet in puteo verum ut Democritus inquit
Cur bibuli in vino quæritis ? eſt in aqua.

 Profun-

Profunda scilicet veritas est, at subinde emergit cum tempore, tempus enim parens est veritatis.

DOCTRINA ETHICA II.

CArbunculus Indicus, aureas guttas continet, veluti stellas, hæ tamen in ejus profunditate, non in superficie apparent, teste Plinio lib. 37. c. 7. aureæ guttæ, sive guttarum sidera, in profunditate Carbunculi latitantes, designāt occultam veritatem, quàm arbitri mentium Regalium Consiliarij, sive purpuratorum animorum motrices intelligentiæ, non aliter, quam sub umbra proponere debent, ut gratior oculatis Principum mentibus accedat. *Amara enim est veritas; & à quibus proponitur, opus est labra calicis, dulcedine aliquâ illinire, ut avidius eam quis hauriat. Importuna enim monitoris libertas, cæca temeritas est, nec corrigit errantem, cum semper ipsa egeat veniâ, raro impetret. Laudat populus liberè dicta, & Principum convitijs delectatur, sed idem, de eorum qui sic agunt interitu non miratur, meritò perijsse eum existimat, qui sic locutus est, ut meritò illi Princeps irasceretur.* Neroni cum vectigalia omitti juberet, apertè quidem reclamarunt senatores, dissolutionem Imperij dicendo, si fructus quibus Respublica sustineretur diminuerentur; verùm hanc monitionem, laude magnanimitatis Neronianæ, licèt ficta temperarunt, *multum prius laudata ejus magnitudine animi, ait Tacitus.* Socrates adolescentum vitia redarguens, simulata sua in se perstringebat, quem *dexterrimum esse objurgandi modum,* *docet* Plutarchus.

Luzon in Idea Politica Symb. 28.

Kötzen. libi Politic. c. 22.

Lib. 13. Annalium.

Plutarchus lib. 1. de amici & adulatoris discr.

DOCTRINA HISTORICA

A Lybia, apud Troglodytas ferocissimas gentes, & serpentum carnibus vesci solitas Carbunculus reperitur omnium pretiosissimus, teste Diodoro, qui asserit quòd jactatus

iactatus in igne, ceu mortuus & languidus compareat, at superfusâ aquâ, carbonibus extinctis, priori gratiâ ceu redivivus, proprio colore resplendet & ardescit. Veritas Carbunculus est, quæ licet subinde adscititiæ falsitatis flammâ extingui videatur, tempore tamen, ceu superfusâ aqvâ, suo splendori restituitur, ac sibi similis apparet dum minimè expectatur. Constantinus Imperator, primo Imperij sui exordio, cogniturus quinam ex domesticis orthodoxam fidem verè amplecterentur, qui verò ab ea desciscerent, finxit se eos summo honore cumulaturum, qui Dijs vellent sacrificare: ad quam vocem, aliquibus Xtianorum Aulâ exeuntibus, alijs vero thura Dijs ponentibus, hos a se rejecit, illos verò, velut domesticos, summis beneficijs est prosecutus. Orta quondam inter summum Pontificem (cujus nomen Author subticuit) & Sabaudiæ Ducem, de Castro celebri Italiæ fortalitio controversia, priorem Sabaudum ad bellum excivit, Pontifex quoque defensiva opposuit arma. Erat in Castris Sabaudicis Generalis quidam, gente Francus, qui consiliis bellicis, semper prosperis eventibus coronatis, magnum sibi in Exercitu nomen comparaverat, hæc verò illi consilia à Genio non bono, quem annuli gemmæ inclusum gerebar, suggerebantur, adeò ut quidquid in Castris Pontificijs ageretur, omnia cum totius exercitûs stupore, quasi per suos speculatores pernoscere non sine jactantia referebat. Illucescente decretoria conflictûs die, Generalis de successu instantis belli, Genium perscrutatur, a quo ejusmodi capit responsum: Ad *Castrum ibis, Ecclesiam calcabis, Bononia tibi serviet.* Ergo plenus animo, classica sonare, pugnā victoriamq; accelerari mandat; concurrunt acies, pugnatur, in primo conflictu Sabaudis cedentibus dum Generalis Oraculo Genij sui confisus, liberiùs Pontificios urget, pluribus circa se cæsis, vivus in manus hostium venit, vinctusque ad Castrum ducitur, ubi in via,

Cassaneus in memorabil. Italicis l. 2.

 cum

dum Genio fraudem exprobrat, responsum accipit, primam oraculi partem jam verificari, siquidem *ad Castrum iret* : mox alias verificandas. ductus ad Castrum, in turri mediæ Ecclesiæ imminenti incarceratur, ubi secundam Oraculi partem impletam docet Genius. Tertiam tandē post aliquot dies veritatem approbaturus. Latâ sententiâ capitis, dum in Theatrum ferale ducitur, ecce lictor nomine Bononia, ei supremo ministerio serviturus adjungitur, ultimamque Oraculi fidem abscisso capite implevit, postquam ita malefico Bononia inservijsset.

GEMMA QVINTA SAPPHIRVS

Sapphirus qvi pectorale ornabat Pontificis, cœlestem referebat colorem, ut c. 28. Exod. n. 18. docet Glossa ininterlinearis. In hac gēma elucet Rationalis Philosophiæ,

VERITAS QVINTA

Potest efficere Logicus, ut omnia in orbe vivant, & vjgeant, licet non existant.

ENs communiter definitur *esse id, quod potest existere, seu cui non repugnat existere* : *Veritas Logica declarat*, posse perfectè præscindi Ens à suis differentijs, & differentias ab ente præcisas. veritas hæc elucet in Sapphiro qvē Helimādus & ex eo Ehassaneus Catalogo gloriæ mundi, part. 12. consid. 92. testatur esse coloris cœlestis, cæloq; fere no similem, & ideo gemmarum gemmam, & colorem super omnes colores vocari. Colore Sapphjri nullus color, Ente nullum prædicatum superius est, postquam a suis differentijs præscinditur, & differentiæ præcisæ ab ente, cū non existere à pluribus iudicantur, cœlestem adhuc colorem referunt, id est naturali, in sua essentia ab ente re. cisa, beatitudine perfruuntur. DOCTRI.

DOCTRINA ETHICA I

PLinius lib. 37 c. 9. ſcribit hæc de Sapphiro. Sapphirus aureis punctis collucet; optimæ apud Medos reperiuntur nusquam tamen perlucidæ. Sapphyrus ſplendores aureos agnatâ involvens umbrâ, aurea purpurataque nomina vitæ privatæ caligine involuta deſignat, & ſicut viribus intellectûs fieri poteſt, ut differentiæ Dei & creaturæ, ſubſtantiæ & accidentis, in ſuo eſſe vigeant, licet non concipiantur exiſtere, ita Theopoliticæ mentes, veriores ſcilicet Sapphiri, tum maximè aurei ſunt, cùm non perlucent, tum maximè exiſtunt, cùm non, vel vix exiſtere reputantur, publica vita defuncti, privata viventes & vigentes. Vixêre hanc vitam Scipiones & Lælij, Cicerones & Attici: vixere fortes ante Agamemnona.

contentus honeſto.

Fabricius parvo, ſpernebat munera Regum — *Claud. lib. in Ruffinum*
Sudabatq́; gravi Conſul Serranus aratro
Et caſa pugnaces Curios anguſta tegebat.

NEmpe juxta Senecam. *Nullus anguſtus eſt locus qui magnarum virtutum turbam capit; quid* quod ingens & capax animus nec ſolus eſſe poteſt nec vacuus? plenus eſt imaginibus rerum, qvas intra ſe pinxit, intra ſe vrbes & Provincias & Regna gerit qvæ luſtravit: intra animum Germanus, Turca, Polonus, Moſchus de pace tractant, Hiſpanus, Gallus, Anglus, bella gerit: meditatur hæc omnia politicus animus, & pene exeqvitur; & quis dicat eum animum ſolum, cui mundus eſt ſocius? animo intra ſe habitanti ipſa res anguſta; domi auguſta perāplaque eſt, copioſa inopia, dives egeſtas. — *Sen. conſol. ad Hel.*

Vivitur exiguo melius, natura beatis — *Senec. Ep. 119, idem Ep. 11.*
Omnibus eſſe dedit. ſi quis cgnoverit uti.

An parum habet qvi tantum non alget, non eſurit non ſitit? Plus Iupiter non habet. Habeamus aquam, habeamus polentam Iovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus.

Felices quibus obtigit

Sors,

Sors, nec summa nec infima,
Sed sanè modica. Cominæus

Et alter *Cum dat oluscula, mensa minuscula pace quieta*
Ne pete grandia, lautaque prandia lite repleta

E contra, summa periculosa, *feriunt summos fulmina montes*: & *in se magna ruunt. prægrandia animalia* ait Herodotus lib. 7. *Deus ferit fulmine, nec sinit insolescere; parva verò nihil lædit : magna semper ædificia magnasq; arbores fulminum tela percutiunt.* Idcirco rectè Horatius monet.

Fuge magna : licet sub paupere tecto
Reges, & Regum vitâ præcurrere amicos.

Summa Majestas, summa calamitas, sidunt ipso pondere magna, ceditq; oneri fortuna suo. Senec in Agamem. Regnum Thebanum inter duos fratres Etheoclem & Polinicem erat divisum hâc lege, ut qvisq; alternatim regnaret. Primus vtpote natu major regno potitur Etheocles quod ultra constitutum tempus, imò semper volebat retinere. Convolat ad arma Polinices jus suum vindicaturus. Opponit se Etheocles, jam stabat, in pugnam vtrinqve parata acies, cum Iocasta Mater sese interposuit Mediatricem, & ad exulem suum Polinicem conversa, nullo efficaciori argumento hunc a cæpto deterrere sperabat, quam demonstrando, regnare nihil aliud esse, quam curis & summis periculis implicari, sicqve ait de Etheocle.

Ne metue, pœnas & quidem solvet graves,
Regnabit, hæc est pœna. si dubitas Avo
Patrique crede. Seneca in *Thebaide*

HAc summorum culminum perspecta infelicitate, freqventibusqve præcipitiis, Carolus Magnus, Imperialem orbis serenitatem, cum asceticis umbris commutavit, cùm posset imperare, noluit: testante ipsomet apud Famianum Stradam his verbis : *Exemplum meum pauci imitabuntur : nam & ego quem seqverer ex omni retro antiqvitate vix habui.* Habuit tamen plures Magnus in Imperio, major in

major in Imperij contemptu, magnos seqvaces Carolus, qvorum immortalia nomina, cùm passim sacri civilesqve ostentent fasti, ad rariora transeo, infulataq; adoro capita, qvibus hic publicæ contemptus privatæ vitæ amor, altiùs insederat. Pius V. creatus Pontifex expallescens hæc protulit: *Ego qvamdiu fui religiosus bene speravi de mea salute, factus Cardinalis cæpi timere, jam creatus Pontifex pæne de ea despero.* *Paulus III. Pontifex animam agens, mallem inqvit me subjecisse coqvo familiæ Capucinorum, quam hanc Deo proximam, sex & decem annorum curriculo dignitatem sustinuisse.* Adrianus III. dicere solitus erat, *Romano Pontifice nemo est miserabilior, conditione eius nulla miserior, spinosa est cathedra Romani Pontificis, tantæq; molis, ut robustissimos premat, terat & comminuat humeros, & bene se dicit, non tam nuncupativè quàm etiam substantivè summum Pontificem servum* servorum Dei. In sepulchro Adriani VI. hoc Elogium positum fuit: *Hadrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm qvòd imperaret, duxit.* S. Cœlestinus antea Petrus Moronus dictus, ponderosam hanc ac periculosam sarcinam sponte excussit. Heliodorus eximiâ fuit Religione erga Deum, cùm tamen de sacris teletis ageretur, S. Hieronymus ad illum ita scribit. *Si te ad ordinem pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu. Quantò fuerit* (ait S. Chrys:) *celsior dignitas, tantò sacerdotis majora sunt pericula.* Thomas Morus Cācellarius Angliæ, cū Episcopus Roffēsis ei statū atque ordinem in Aula esset gratulatus, respondit, *in Aulam invitus veni; et in eadem non minùs malè hæreo, qvàm qvisquam eqvitandi insolens hæret in sella.* S. Augustinus ita de se scribit, *in qvo loco sciebam non esse Episcopum ne illo accederem cavebam: & hoc agebam qvantùm poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer.* S. Gregorius Turonensis cùm in scripto qvodam legeret, se non futurum Pontificem qvia simplex nimium videretur, ad paginæ marginem ad-

nem adscripsit: *Felix simplicitas, quæ me à tanto onere liberavit.* Sciverunt magni Pontifices, quod ab Infulis curæ pendeant, quot gemitus annuli gemma tegat, qvid molestiarum sub argentea pedi bractea tinniat. Bene igitur, terque feliciter vixit, qui latuit, ex adverso. *Qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi.*

DOCTRINA ETHICA II.

QVidam ut refert Montanus, Sapphirum emerat Romæ, constituitque de pacto si modo periculum fieret: factumque fuit periculum gemmæ, in incude malleo percussæ, quæ malleo & incudæ læsis, illæsa permansit. Sapphirus nulli vi malleorum cedens, symbolum est immortalis gloriæ, quam magni sago & toga Heroes, rectefactis sibi compararunt, hic scilicet Sapphirus potentior, sub ipso æqvantis omnia, ac in mortualem cinerem concutientis mortis malleo inconcussus perennat. Concutiantur atteranturq; in obliviosum pulverem illi, qvorũ *nullis nota Quiritibus ætas, per tacitum fluxit,* æternum lugendi quia non legendi, & pæne non nati, quia non noti, Magnorum Patriæ Civium mors, immortalitatis est Parens, & si ubi veritas Logica, hîc profecto verificatur nempè tum Magni Heroes vivere incipiunt, cum desinũt, tũ vel maximè vigent ac existunt, cũ non existũt. Nẽpe teste Tullio *non vita hæc dicenda est, quæ corpore ac spiritu continetur, illa inquam, illa vita est, quæ viget memoriâ sæculorum omnium, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur.* Et eodem *attestante; actum præclare cum ijs est, quorum virtus nec oblivione eorum, qui sunt, nec reticentiâ Posterorum sepulta esse poterit.* bene de Lipsio Puteanus, *quantus ille fuerit animo, quàm benignus, justus, pius, intelligere cæpimus postquam ereptus est, jam magis noster quia fuit, jam ut verè dicam vivus, quia extinctus.* Epaminondas in pugna ad Manti-

Manticam saucius, & morti proximus, cùm fusos hostes, victores suos intellexisset, exclamavit: *non finis vitæ meæ, sed melius & auctius initium advenit, nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.* nempe juxta Politicum, *Dij, virtus, & conscia recti mens grataq; posteritatis memoria viris fortibus summa merces est.* Ejusmodi immortalitatis hæredibus, plenam in Elisijs campis æternitatis possessionem Mantuanus inscripsit vates. Barcl: li: Arg;

Hîc manus ob Patriam pugnando vulnera passi,
Quique Sacerdotes casti, dum vita maneret,
Inventas aut qvi vitam excoluêre per artes,
Quique sui memores alios fecêre merendo:
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vitta. Vir. l. 6. AEne.

PAtavinus Symboli loco Herculem ardenti rogo impositum hâc inscriptione, exornavit, *ex morte perennitas* hos immortalitatis Phœnices, celebrat Senec: de Tranqvil: animi c. 15. *Ego Herculem fleam qvod vivus uritur, aut Regulum quod tot clavis configitur, aut Catonem qvod vûlnus suum iteravit. Omnes isti leni temporis impensâ invenerunt, qvomodo æterni fierent: ad immortalitatem moriendo venerunt.* Sic plures post fata & busta cineresqve in triumphales palmas revirescentes Heliodori, illud Ennij ingeminant: *Nemo me lachrymis decoret neqve funera planctu.* Aut illud Horatij lib. 4. Od. 30.

Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit Libitinam usqve ego postera
Crescam laude recens.

Nempe verus rectusqve Patriæ Civis *Magnus licet habitus fuerit ante, dum staret; in casu tamen ac jacens, ceu prostratus disiectusque paries major apparuit.* Strada de I.

Qui cadit magnus jacet ille magnus,
Non premit sortem celebrat ruina,
Vulnus armatum decorat cadaver. Balde Od. 19.

His plane qvotidiano Paradoxo sua post fata superstitibus ac tum maximè existentibus cùm non existunt, Im-

mortalitatis hæredibus qvadrat illud Sarbievij lib. 1. Od. 2.

Quem sui raptum gemuêre cives,
Hic diu vixit.

Ergo magna Majorum veſtigia ſeqvimini, magnæ animæ

Ite nunc fortes, ubi celſa magni
Duxit exempli via;
Superata tellus Bòétius
Sidera donat.

DOCTRINA HISTORICA

ABulenſis in cap. 28. Exod. refert de Sapphiro hæc: Confortat cor, fluxui ſangvinis reſiſtit, valet contra timorem & venenum, viſum confortat. Teſte Iſidoro Etymolog. 16. Lapis ſapphirus ita parvulus eſt, ut vix videri poſſit, & tamen tales effectus operatur, ſic parva in orbe, ac judicio hominum ferè nulla, maximis ſunt aliqvando potentiora, & cùm vix exiſtere creduntur, mirabilia operantur. Cùm S. Gregorius Magnus, ad ſedem Apoſtolicam aſſumeretur, S. Gregorius Epiſcopus Turonenſis, qui ei peculiari amicitiâ devinctus pridem erat, Romam venit, qvem magnâ reverentiâ, S. Papa excepit, interim ſecretam Dei diſpenſationem admirans, conſiderabat in hujusmodi hominem, (qui erat ſtaturâ puſillâ) tantam gratiam cœlitus profluxiſſe, qvod ille mox divinitùs perſentiens, placidoque vultu ad Papam reſpiciens: *Dominus inqvit fecit nos, & non ipſi nos, idem in parvis, qvi & in magnis.* Cumque id ſuæ cogitationi S. Papa reſponderi cognoſceret, in magna veneratione cognominem ſibi Sanctum habere cœpit, Turonenſemqve Eccleſiam ita nobilitavit, ut auream ei Cathedram donaret; qvæ apud præfatam Vrbem, in poſterum ſervaretur. S. Gregorius Nazianzenus, ad quendam Nicolaum qvi Alypianæ uxori ſuæ, Gorgoniæ Gregorij ſororis filiæ exiguam ſtaturam exprobraverat, his verbis ſcripſit: *Alypianam apud nos cavillis inceſſis ut parvam, & tuâ proceritate*

indignam: O magne & vaste gigantine, nunc demum intelligo, animum mensuræ subijci, ac rupes Margaritis præstantiores esse, Corvosq́ Luscinijs augustiores !) Tu verò magnitudine tuâ, & cubitis fruere, vide tempestivum silentium, loqventem audi, qvàm ut fæmina fortis ac strenua, qvas rei domesticæ utilitates afferat, qvam viri amans, at tum illud Laconis dices: *Certe animus in mensuram non cadit.* Ita profectò sæpe colossæos Longinos, ac Longimanos, ulnares Loctici, prægrãdes Childericos, pusilli Pipini triumphant, *nihilq́ tam parvum est, qvod non gloriam parere possit.* Supplet enim imprimis parvitatem corporis, opposita magnitudini, multitudo parvulorum: Ita murium multitudo, abegit Megarenses, Phaselitas Vespæ fugârunt, Gymnesitæ gens fortis, missis Legatis Romam, opem petierunt, quòd suâ se terrâ à Leporibus expelli dicerent. Traianus dum victis Parthis Agarenos obsideret, tanta subitò Muscarum multitudo exercitum ejus involavit, ut omnes cibos & pocula repleverint, & ingentem Romanis molestiam intulerint, ita ut inde Trajanus protinus discedere sit coactus. Ita nihil (ut ait Strada) *tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido,* hinc coram Maximino Tyranno, admirabilis proceritatis & virium coronato Cyclope, Pòéta qvidam in Theatro hos versus recitavit: *Qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur, Elephas grandis est, & occiditur, Leo fortis est, & occiditur, Tigris velox est occiditur, cave multos, si singulos non times.* Denique in parvis vis magna frequenter. Infans Hercules angves suffocabat, puer frangebat Leones, *& in cunis, jam Iove dignus erat.* Parva vipera ingentem Taurum, & canis Aprum sustinet.

Plinius li. 15. Naturali Hist. c. 14.

Parva necat morsu spatiosum vipera Taurum,
A cane non magno, sæpe tenetur Aper Ovid.

SVpplet secundò parvitatem corporis, industria animi. Scribit Plin: lib. 7. cap. 2. nat. Hist. in India reperiri spithamæos pygmæos, hoc est, ternas spithamas lon-

 gitudi-

gitudine non excedentes, qui qvia à gruibus infeſtantur, & magna damna cædeſqve patiuntur, tali contra eos utuntur induſtriâ, inſidentes arietum Caprarumqve dorſis, armati ſagittis, veris tempore, univerſo agmine ad mare deſcendunt, & ova pulloſqve gruum conſumunt, ternisqve menſibus, eam expeditionem conficiunt, aliter futuris gruibus non reſiſtunt. Philetam Coum ſcribit Ælianus lib. 9. variorum Cap. 14. exili ac macerrimo corpore fuiſſe, qvia ergo quavis occaſione ſubverti poterat, ferunt eum plumbeas habuiſſe ſoleas in calceis, ne à ventis proſterneretur; ſic quod in corpore illi pondus natura negavit, id a plumbo ingenium addidit.

GEMMA SEXTA
IASPIS

Sexta Rationalis Pontificij gemma erat Iaſpis, in qva elucet Rationalis Philoſophiæ

VERITAS SEXTA
Logico futura omnia, ſunt præſentia.

Hæc veritas Logica, declarat *propoſitiones de futuris contingentibus, eſſe determinatè veras vel falſas.* Ejuſdem veritatis ſymbolum, eſt Iaſpis: mirum enim eſt, quod de hac gemma ſcribit Chaſſaneus Catalog: gloriæ mundi par: 12. Conſ. 92. quod tanta tam provida futurorū virtus Iaſpidis ſit, ut qvi eum portaverit, ſit tutus a fulmine, ita ut non cadant ſupra eum. Hic lapis, futura velut præſentia præcavēs, & removēs, docet, Philoſopho debere eſſe futura omnia præſentia, quia præviſa, nè improviſo ingruentia mala, præſentibus tantum, intentum animum perturbent, & de ſtatu rectæ rationis evertant.

DOCTRI-

DOCTRINA ETHICA I,

ABulensis ad cap. 28. Exodi testatur Iaspidem qui erat in Rationali Pontificis habuisse tot virtutes, quot venas. Prudentiæ virtutum omnium Magistræ, hæc gemma symbolum est, cujus istud munus est; prævidere futura, imò facere præsentia, nihilque inexspectatum ac subitaneum pati accidere Hæc gemma tot virtutes, quot venas in se continet, prudenti enim viro qvidqvid acciderit, materiam virtutis affert, cùm prævidetur. Hinc monet Seneca : *Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, & quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone, nihil tibi subitum sit, sed totum ante prævideas, nam qui providens est, non dicit non putavi hoc fieri, quia non dubitat, sed expectat, non suspicatur sed cavet.* Vulpes & Hircus sitientes, in puteum descenderunt, postqvam sitim extinxissent, Hirco ascensum ac regressum ad superiora indagante, Vulpes respondit : nil metue ostendam ego mox viam si parueris : erige te & anteriores pedes parieti applica, cornua pariter in anteriorem partem inclina, & cùm ego percurrerim ipsa per humeros tuos & cornua, & extra puteum hinc exilierim, te postea èxtraham. Præstat Hircus quod mandat vulpes, illa postquàm puteo exilijsset, Hirco valedicebat plaudens de suo egressu : Hircus cùm ab ea fidem datam violari quereretur, respondit vulpes : *Si tot mentes possideres quot in barba pilos, non ante descendisses, quàm ascensum consideràsses.* Nempe prudentem oportet prius arduarum rerum exitus prævidere, quàm principia aggredi. Bene monet Pòëta

Senec. 4. de virtutibus.

Vt nulli noceas columba fias,
Vt nemo tibi, sis Mariane serpens. *Mas: art. novæ par.* I

Aliàs frustra præsenti naufragio reniteris, & cum adverso fluctu luctaris, si ultimâ Prudentiæ tabulâ excidisti.

Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re consiliumq; fugit- *Hinc juxta Ovid.*

Serò respicitur tellus, ubi fune soluto.
Currit in immensum, panda carina salum

DOCTRINA ETHICA II.

D. Isidorus lib. 16. Etymol. c, 7. de Iaspide sic scribit: Iaspis in India Smaragdo similis invenitur, in Cypro glaucus & pingvis, in Persia æris instar, in Phrygia purpureus, in Cappadocia non fulgens, In Chalcidia turbidus. En quot locorum, tot colorum gemmam, quid illa nisi nostri ævi Protheos, ac tot colorum quot temporũ Chamaleontes designat, quibus hæc innata nec alia vox & sententia. *Felix qui semper, & omni*
Nocte dieque potest alienum sumere vultum.

Ejusmodi fortunæ inconstantis mancipia, semper futura præsenti felicitate metiuntur, solemque Orientem adorant: *Quamdiu scilicet Regum amici sensu fruuntur lætæ fortunæ, & veluti fragiliores hederæ arbore egent, in quam recumbant, tamdiu Regem incolumem volunt. at postquam validiori trunco suæ magnitudinis nituntur, sensim ramos expediunt ab arboris nexu, quâ fulciente iverunt in altum, ut vel eâ cadente, stare sublimes possint.* Larvam amicitiæ gerunt hi Aulæ Vertumni, quos felicitas Regum lateri adjungit, separat adversitas, adeo ut non unus in re adversa, eorum præsidio destitutus cum vate ingemiscat

Barclaius l. 1. Arge-

Dum mea puppis erat validâ fundata carinâ.
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc quia contraxit vultum fortuna, recedis,
Auxilio, postquam scis opus esse tuo. Ovid. 4. de Ponte.

SCribit Causinus in Symbolis sacris, reperiri florem dictum Hasta Regia, in cujus medio nasci solet vermiculus parvus, diceres illum intimum floris hujus amicum, ut pote in eius visceribus natum, ille verò sensim florem arrodit, donec ei alæ succrescant quæ postquam succreverint, tum demum arescente flore avolat: ita juxta Se-

xta Senecam: *Qui causa utilitatis assumptus est, tamdiu placebit quamdiu utilis erit : hac re florentes, amicorum turba circumsidet, circa eversos ingens solitudo est.* Apud hos velut scortum publicum, amicitia *Prostat & in questu pro meretrice sedet.* Senec. Ep.

Congruè id genus hominum expressit, Paulus Arosius Symbolo Cameli adgeniculati, juxta quem erant nonnullæ sarcinæ vestium, addita inscriptione : *donec accipiat*, id est onera, camelus enim cum illi inijciendum est onus submittit se in terram, postquam accepit continuò se erigit, & abit, ita plerique recepturi ab altero beneficium in terram se deijciunt, jam non manus tantùm sed & pedes, & terram ipsam, quam calcant illi quorum gratiâ egent, osculātur. Consecuti quod expectabāt, erigunt sese in superbiā, nec beneficij accepti recordātur. *Importuni ut accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati ubi acceperint.* Et teste Seneca Ep. 61. *nihil cariùs æstimamus, quàm beneficium quamdiu petimus, nihil vilius cùm accepimus.* Ejusmodi amici peræ, exili quandoque injuria affecti, tesseram amicitiæ rumpunt, quibus. Bernard. de consi. c.

Si quid benefacias levior plumâ est gratia,
Si quid peccatum sit, plumbeas iras gerunt. Plautus.

Errat proinde (ait Seneca) qui amicum in atrio quærit, in conuivio probat, Quia temporarias amicitias cum spe quæstus factas, utilitas immutata dissolvit, *& inde amici fugiunt, unde probantur.* E.p. 81. Ep. 19.

Græculus esuriens, in Cælum jusseris, ibit,

Satiatus aliò avolabit, Aristotelis Oraculum Cedro inarandum. *O amici, amicus nemo* : breviter amici veri naturam descripsit. Balde lib. 4, Od. 14,

Qui tibi luget, tibi gaudet, hic est
verus amicus.

DOCTRINA HISTORICA.

Gaspar

GAſpar de Morales, in ſuo Lapidario lib. 1. Cap. 2. refert quod Iaſpis noxia Phantaſmata expellit, Luxuriam cohibet, conceptionem negat, omnem ſangvinis fluxum ſiſtit, ita ne præſens noceat, vim futuræ frangit libidinis Iaſpis; documentô, longâ ante vigilantiâ præmuniendum eſſe animum adverſus ſæva tela Cupidinis, quæ etiam prævisa, minus ferire ſolent. Hanc vero puritatis cuſtodiam & amorem diſcamus ab animantibus ratione carentibus. Porphyrio eſt Avis pulcherrima, quæ tamen mira ſe voluptate verſat in pulvere, conſpectum aliorum fugit, mulierum Caſtimoniæ inſignis eſt Cuſtos, & ſi quam adulterio inquinari deprehenderit, ſeipſam impatientiâ ſceleris ſtrangulat. Ælianus lib. 30. Cap. 40. Plin. 10 c 46 Muſtella nullâ vi, nullo vitæ periculo in ſordes compelli poteſt. Hinc Alphonſus XI. Rex Legionis ſumpſit pro ſymbolo Muſtellam fimo circumvallatam cum Lem: *malo mori, quàm fædari*

Elephas ſemel tantùm in triennio côit, ad remediũ ſuæ ſpeciej & id facit ſecretiſſimo loco, Nierember: hiſt: Natur. lib. 1. Cap. 11.

In Piſidia Magna, naſcitur herba nomine Iris, quæ magna ab indigenis religione effoditur, trimeſtri priùs, aquâ mulſâ circumfunditur: effoſſa protinus in Cœlum attollitur, a ſolisque caſtis ſe attingi patitur, alijs contrectantibus puſtulas infligit Plin. lib. 21. Cap. 7. Phrixa herba Rutæ ſimilis in ſeptemtrione naſcitur, gelida nive frigidior, ſi tamen impudicis tangatur manibus veluti ignis exardeſcit. *Plutar. in Tanai.*

Planta Mimoſa dicta, eleganti virore prædita, manu admota ſeneſcit & marceſcit, manu vero remota priſtinũ virorem recipit, ſed non adeò celeriter. Phænici inſcripſit P. Meneſterius: *uritur & virgo eſt.*

Nier. Hiſt. Nat. lib. 14. c. 20

GEMMA SEPTIMA LYGVRIVS.

Tertia in Rationali Pontificio gemmarum ſeries, triplici fulgebat gemma. Prima erat Lygurius, ſecunda Achates, tertia Amethyſtus. In Lygurio elucet Rationalis Philoſophiæ

VERITAS SEPTIMA

Poteſt Logicus aliqvem in inſtanti, ex infimo gradu, evehere ad ſummum.

LOgici Intellectûs hæc eſt potentia, ut etiam ab individuis primointentionaliter ſumptis, poſſit, abſtrahere rationem individui, omnibus ſuperiorē & communem. Vltima ſcilicet & infima ratio individui, ſi adſit vis favorque intellectus, in inſtanti excelſum univerſitatis tenebit faſtigium, veritas hæc, ut dixi relucet in Lygurio, qui ex fæda abjectaque materia prognatus, naturæ vi ita excolitur, & aſſurgit, ut regum coronis inſeri promereatur. procedo ad ETHICA.

DOCTRINA ETHICA I.

LYgurius gemma pretioſiſſima, fit ex humore ſpermatico Lyncis. En ex tam vili origine, tanti pretij aſſurgit gemma! ita intellectus, naturam ceu pretioſiorem Lygurium, ex infimo individui gradu extrahit, in ſummoque univerſitatis collocat faſtigio: Idem facit in orbe Divina manus, virtutisque potentia, quæ indies non minora ſummos deprimendo, ac infimos attollendo exhibet miracula adſit virtuti ſuffragans cœlum, & mox agreſtes caſæ Regijs Auguſtalibus, ſceptra ligonibus æquabuntur:

& in medijs, ad Orbis fasces, Consul quæretur aratris:

Fessos duxit heri boves,
Dat magnis hodie jura Quiritibus:
Et quæ bobus ademerat,
Imponit Gabijs & Curibus juga Sarb. li. 1. Od. 2.

VIrtus non unum terrigenam, purpuratis Regnorum postquam inservisset astris, admirator inscripsit Orbis *radiat, quod fuit ante vapor.* Ita Numa Pompilius Rex Romanorum secundus, *Curibus parvus, & paupere terrâ, missus in Imperium Magnum.* Ita Servius Tullius, verna & ancillæ Filius: *trabeam & Diadema Quirini, & Fasces meruit Regum ultimus ille bonorum.* Tamerlanes à tenera ætate porcarius, scytharum, tandem Rex effectus, ut refert Bergomensis lib. 14. Valentinianus Imperator Patrem habuit funes torqventem. Cornelius sylla Nicopolitanæ meretricis Filius, super Cymbricos Marij Triumphos septemque Consulatus Dictaturasque celsior surrexit. Agathocles ex filio Figuli, Siciliæ factus est Rex & Tyrannus, hinc vasis aureis figulina solebat admiscere. Villegisus Elector Moguntinus, Rhedario Patre natus, rotam Palatio appingi, eamque oculis assiduè observari voluit. Ioannes X. Pont: Max. ex humili genere ad summam dignitatem evectus, in annulo lapidem pretiosum pro symbolo usurpavit cum Lem: *tunc gutta, nunc gemma* gemmæ enim ex guttis sole cooperante còalescunt.

Flumina magna vides, parvis de fontibus orta

Ep. 44. ID Seneca expendēs, intulit *Neminē Regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus.* Maximiliano II. Imperatori, quidam scriptorum; in Genealogia Austriacorum ab Origine deducenda, operam obtulit, ut honorem familiæ (quod ajebat) illustraret. Verum Imperator hunc sibi delatum honorem, rejecit dicens, *metuendum est, ne si altiùs scruteris, in rusticum aut sutorem incidas*, & pro gloria, ignominiam eruas & reponas. Marchio quidam

[...]ns lib. 1.

quidam Italus Scipionem Ammirati induxerat, ad Genealogiam suam contexendam, quod dum omni opera agit Scipio, reperit Antecessores Marchionis hunc titulum à sæculo possedisse unumq; ex illius Avis cohortis ductorem, ob præclara in bello facinora, ab Imperatore Castrum in feudum accepisse, appellatum Marchionis Castrum. Huius 1mi Marchionis Pater, fuit Medicus, Medici Pater Notarius, hujus figulus, istius satelles, ob maleficia patibulo suspensns. Hic furcifer Patrem habuit culcitrarium, culcitrarij Pater fuit Nobilis quidam Sabaudus, ob perduellionem in carcere supplicio affectus: Hic Nobilis fuit filius cujusdam Comitis, Illustris familiæ; cujus caput, erat Aulicus quidam filius Iudæi, ad hanc familiam à Principe suo, post susceptam fidem evectus: Quia verò Iudæus iste, in Italiam e Rhodo Insula se transtulerat, hîc scriptor qnoque sistere debuit, quod ulteriorem de familia Marchionis instructionem non habuerit. Marchio non decora sed probra domus suæ à Scipione manifestari, libellumque famosum ab illo de se confectum querebatur, cui respondit Scipio: nihil fixũ, nihil stabile esse in orbe, circumagi quotidie humana, nunc Regem ex opilione, nunc ex Rege Opilionem fieri. Ita Agrestes Pribislai, è voto Libussæ dimisso eqvo à ferrea aratri mensa, ad aurea Bohemiæ solia provehũtur, ita si nos ad prima Poloniæ principia recipimus, Polonos Colonosque, unus pæne apex distingvet, è veteri formula, tot vrbium areas, aratro majores nostri metati sunt. Ita Piastos, Præmislos, Lescos, Lescones purpuratos vidit ac adoravit agricolas Polonia, & Aurifabros suæ fortunæ fabros est experta.

DOCTRINA ETHICA II.

LYgurius paleas attrahit, ita sicut Magnes ferrum: Principum bonorum, in hoc lapide natura effingitur

 quibus

quibus cognatum est, illos, quos suis fascibus Deus subjecit, dignitatis suæ reddere participes, & vel ex infimo statu ad summum attollere, si dignitati paria merita suffragentur: solis naturam imitentur Principes, cui inscripsit qvispiam *viget quodcunque videt.* Et alter *quos aspicit ornat,* nec sibi sed mundo communicatâ fulgeant serenitate: conservatur enim concordia & amor inter imperantes & subditos, si admittantur ad Reipublicæ gubernationem præstantiores & digni, jam vero uti Civilis interturbatur Politia, pænas civibus decernendo secundùm proportionem Arithmeticam, ita etiam honorum distributio secundùm eãndem æqvalitatem Arithmeticam, in causa sæpenumero est, ut civilis ordo intervertatur, & subditi gravissimè offendantur; quis enim nesciat, funestissimas oriri offensiones, si ignobilibus perinde ac Nobilibus, immeritis æque ac meritis, honores conferantur? Carolus simplex Galliæ Rex â Proceribus suis derelictus, propter Haganonem ignotæ originis hominem, plus æquo honoratum: Theodoricus Rex, à proceribus Regni in monasterium detrusus, propter in'ustam honorum in plebejos distributionem. Ludovicus XI. omnium odia incurrit, quod sutori suo Fecialis ac Internuntij; tonsori Legati, medico, Magni Cancellarij, munus detulerit. Gallias mittamus; Imperio Romano Arcadius & Honorius fratres præerant, cum Rufino & Stilicone Tutoribus rerumque arbitris, qui inter varios ignobiles & imperitos homines, ad varias Imperij dignitates admissos, Bargan e tem quendam venditorem farciminum, ad prima Palatij munera evexerunt; verùm quam cladem ex indiscreta ejusmodi honorum distributione, Romanum Imperium acceperit, pleni sunt Historicorum fasti. In muneribus ergo conferendis, Personæ eligendæ, spectanda est potissimùm industria, negotiaque aptanda meritis, ne rudes trunci stolonesque in Deorum figuram efformati, & ipsa forma facti deformes, querulentur

Olim

Olim truncus eram Ficulnus, inutile lignum,
Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum
Maluit esse Deum. *Horat. lib. 1. Serm. Sat. 8.*
Ignominiæ enim loco apud indignum est dignitas, & deforme est, quos dignitate præstat, ab his virtute superari. Si facultas & capacitas desit, consultius est, intra privatæ vitæ terminos se continere: eleganti similitudine hac de re, idem Horatius Fuscum Aristium informat. *Val. lib. 3 c. 2.*

Cui non conveniet sua res, ut calceus olim
Si pede major erit, subvertet: si minor uret,
Lætus sorte tuâ vives, sapienter Aristi.

CVm Pan Pastorum Deus, primò in terris conspexit ignem, (ut fabula refert) novo & insolito Lumine captus, festinus ad illum amplexandum accurrit, sed citiùs dolens gemensq;, ambustis manibus & corpore recessit. Honoris claritas ignis naturam æmulatur, alios quidem illustrat, alios deformat & exurit, si temere accedatur. Vndè egregiè de Cæsare Tullius: *dum quosdam ornare voluit, non illos honestavit, sed illorum ornamenta turbavit.* Ventidio qui priùs curandis mulis servierat, tandem Prætori & Consuli facto, per vias urbis applaudebat Populus: *Concurrite omnes Augures, Aruspices: portentum inusitatum conflatum est recens, nam mulos qui fricabat, Consul factus est.* Ita quondam, & de Eutropio Eunucho profligatissimo, ad Consulatum promoto *Claudianus lib. 1. in Eutro.* *Gellius lib. 15.*

Heu Cæli terræque pudor! trabeata per urbes
Ostentatur Anus, titulumq; effeminat anni.

Clarus nimirum honor vilescit in indigno, & apud bonos viros indigna est ista dignitas, quàm multi indigni possident. Habeant igitur Principes præ oculis, illud Magni Ducis Encomium *Lectos ex omnibus oris* *Hieron. Ep. ad Hel.*

Claud. lib. 2. de Lau. Stilic.

Evehis, & meritum non quæ cunabula quæris.
Et qualis, non unde satus.

Merita igitur non ſtemmata, virtutes, non ceras reſpiciat Princeps, in libramq; ſumat pondus dignarum honore qualitatum, *non vacuum, ſine pondere nomen.*

DOCTRINA HISTORICA

Lygurius, qui illum portat, peſtilentiâ infici non permittit, en tam vilis originis gemmæ, tantam vim ineſſe quis non miretur, ut etiam venenatiſſimis quibusque plus va. leat ? ſic Deus & natura, vilia quæque ad ſublimes effectus elevat.

COrallium vilis in mari herba, ut ait Solinus c. 7. in aquarum profundo fluxa eſt, ubi ſupra attollitur, fit Lapis; nec ſolum illi qualitas ſed & color vertitur, nam puniceo protinus erubeſcit: hæc vilis herba, poſtquam in lapidem tranſgelatur, non minus Indorum viris pretioſa eſt, quam fæminis noſtris uniones Indici, ait Pl. l. 32. c. 2.

TArantula vile & abominabile Apuliæ venenum, de. trita ſupra vulnus inflictum, in modum emplaſtri, venenum proprium extingvit: Kircherus Mundi ſubterranej lib. 9. Vidi ego (ait idem) Pharmacopæum in Thuringia, qui omnis generis ſerpentes vivos, in uſum medicum ſibi comparaverat, & cum eos Conchæ impoſitos incautius tractaret, ab uno eorum morſu inflicto, ſtatim membro læſo intumuit, deinde ex ſerpentis veneno, totius corporis veluti ſideratione quadam percuſſus, tremuit: & cum medicis advocatis, omnia antidota ſine profectu fuiſſent adhibita, unus inter cæteros peritior Phyſicus, infirmum rogavit, quinam ex illis ſerpentibus eum momordiſſet ? dixit Aſpidem : hanc itaque coctam & carnem præparatam ei comedendam dedere, vix dum ſūpſerat, ſtatim meliùs ſentire cœpit, & continuato illo cibo per diem integrum, perfectè convaluit.

GEM.

GEMMA OCTAVA ACHATES

Octava Rationalis seu Pectoralis Pontificij gemma, erat Achates : in hac elucet Rationalis Philosophiæ

VERITAS OCTAVA

In Logica Republica tantùm valet unus quantùm multi, & tantùm multi, quantùm unus.

ANtithesis hæc, naturam universalis exhibet, quod duplex est, Metaphysicum scilicet & Logicum, utrumque hæc definitio complectitur: *est unum aptum inesse multis, & prædicari de multis*; in Achate verò hæc veritas præclarè elucet, qui unus aliàs lapis, innumerarum in se rerum imagines exhibet, ut non immeritò, gemmarum quoddam universale dici mereatur.

DOCTRINA ETHICA I.

PLinius de Achate hæc scribit: reddit species fluminũ nemorum, & jumentorum. Vniversalis Logici, & Vniversalis cujuspiam subjecti, hæc gemma imaginem exhibet: homo enim verè Ethicus, morale quoddam Vniversale est, unum universas virtutes complectens. Non diffiteor vulgatum istud Orbis judicium esse, *omnia nemo habet. Sicut non omnis fert omnia tellus.*

Hîc segetes, illinc veniunt feliciùs uvæ,
Arborei fructus, alibi, atque injussa virescunt
Gramina.

Hæc tellus vino abundat, illa frumento, & Africa semper aliquid monstri parit, dum nihil portentosum, alia Regio continet. Triticum Sicilia suppeditat, vinũ Creta, purpuram Lydus, Sericum Calabria, aurum argẽtumque Hispania, & Indiæ Occidentales: Orientales vero Adamantes, & uniones. Eadem reperitur in hominũ ingenijs & moribus disparitas ac crisis, *non omnia eidem* Liv. lib. 10. *Dij dederẽ: vincere scivit Annibal, victoriâ uti nescivit.* Non omnibus omnia conveniunt, quidam omnes numeros absolvunt, in sustinenda persona privatâ: in sustinenda publica, oleum & operam perdunt, ut ait Plinius. *Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace, alium toga sed non & arma honestarunt: ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit*

nunquam sincera bonorum
Sors, ulli concessa viro quem vultus honestat
Dedecorant mores, animus quem pulchrior ornat,
Claud. de Lau. Stil. *Corpus destituit. bellis insignior ille,*
Sed pacem fœdat vitijs, hic publica felix
Sed privata minus.

Sæpe qui stirpe & potentia præcipuus est, animi bonis deficit, Barclaius li. 1. arg. *tanquam verentibus fatis, ne si summam mentem ac fortunam dent homini, Deum faciant ex mortali.* Si in mundo nunc degeret Horatius, non inveniret credo Aristippum, de quo caneret: *Omnis Aristippum decuit color, & status & res.* Idem sentiendum quoad scientias.

Homerus *Namque alij bellare Deus concessit, at illi*
Saltare, atque altj cytharâ cantuque valere

Mercator in urbe Samo, vendebat Grammaticum, Cantorem, & Æsopum, Xanthus Philosophus accedens & mercatorem & merces, percontatur ex Cantore quid sciret, ille respondit: *omnia.* Quo dicto subrisit Æsopus: quærit item ex Grammatico Xanthus, quid sciret facere? qui ut prior respondit *omnia*: quærit tandẽ ex Æsopo quis sciret facere ille respondit *nihil.* Quomodo dicẽte Xan-

tho, respondit, quia hi duo se omnia nosse professi sunt, mihi vero nihil reliquerunt. Quo responso castigavit priorum fastum, docuitque neminem in Orbe reperiri, qui omnia posset, vel sciret. Id ingenioso Symbolo expressit, qui fasciculo clavium inscripsit, *Non omnia possumus omnes*. Non diffiteor ut dixi, vera hæc esse, verùm & illud veritati non dissonare iudico, dari posse Morale ejusmodi universale, in quo uno, sparsa per alios plurima, collecta reperiantur. Id suo Stiliconi adscribit Claudianus. *Sparguntur in omnes, in te mixta fluunt, & quæ divisa beatos efficiunt, collecta tenes*. Alcibiadem Historici scribunt, universalem quendam animum habuisse, ita ut secundùm diversos apud quos versabatur populos, variaret & mores, ita ut illic natus educatusque videretur. Annibalis quoque ad res diversas natum videbatur ingenium, ad parendum scilicet & imperandum, plurimùm illi audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat. Iulius Cæsar omnium recordabatur, præter injurias, de Hieronymo orbis iudicium est, *à nullo sciri, quod Hieronymus ignoraret*. Quid memorem Vniversalia urbium, ex quibus una non rarò, innumerarum decora continebat. Ita Scaliger Antverpiam suam deprædicaturus, omnium eam urbium compendium appellat.

Liv. dec. lib. 1.

Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetum vasta,, Tolosa potens
Omnimodæ merces artes priscæque novæque,
Quorum insunt aliys singula, cuncta mihi

Et de Amsteledamo Barlæus:

Moschus, Arabs, Persæ, Maurus, Iudæus uterque,
Quod ferat huc, rursusque auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundumq; hæc ipsa pererrat,
Non urbs fixa loco, sed vagus orbis erit.

Ita D. Hieronymus de Constantino Magno scriptum reliquit, eum omnes mundi totius urbes spoliasse, ut unam Constantinopolim exornaret.

DOCTRINA ETHICA II.

FRanciscus Rueus lib. 2. de gemmis cap. 16. docet, apud Indos nasci Achatem varij coloris, guttis etiam Phœniceis conspersum : Mixtæ Reipublicæ formam hic Lapis exhibet, in qua tantùm valet unus quantùm multi: inæstimabilis hic Regnorum Achates, tantùm cæteris politiarum formis præstat, quantùm libertas una, plurium excellit servitutem. Monarchicum Regimen adoro, magnique ponderis rationes pro illo militantes non ignoro: scio *primò* quia ipse Deus Monarchicè mundum gubernat. 2do. Christi Domini institutum est, ut Monarcha hoc est summus Pontifex, Ecclesiam regat. tertiò quia Monarchiæ diutissimè durant, uti apud Assyrios annis 1240. Monarchicum regimen, vel in ipsis animalibus Deus naturæ author, optimum ostendit. Apes creant sibi Regem cæteris magnitudine excellentem, qui tamen sine aculeo est, & alas cæteris minores habet, omnes se ejus obsequio offerunt, illo viso totus grex animatur, eo amisso dilabitur : circa Regem semper quædam apes adsunt fortiorem habentes aculeum, & tanquam custodes corporis Regem custodientes. Mortuo Rege nisi corpus ejus efferatur, cæteræ Apes fame se necare permittent potiùs, quàm ab eo recedent, sola voce cæteras in officio continet Rex, unde & vocem cæteris magis sonoram habet. Ad hanc DEI & naturæ authoritatem, accedunt florentissimarum Monarchiarum Exempla, quæ unum Regnum unius animo gerendum persvadent, quæ ego pro merito æstimo, verùm in partes Politiæ Mixtæ sequentibus pertrahor argumentis. 1. Quia prudentia major est

jor est in multis, præstat igitur multorum consilijs quàm unius arbitrio, populorum salutem, & fortunas committi. 2do quia plures difficiliùs corrumpuntur, unum facile est in fraudem illicere. 3tio Libertas par omnibus esse debet, ubi verò plures participes sunt libertatis, ibi illustrior est Respublica. Hinc Aristoteles lib. 2. polit. c. 2. loquitur *quapropter æqualitas & reciproca vicissitudo servat civitates, in liberis enim & æqualibus, necesse est eam esse.* 4to Principem absolutum errantem nemo monere audet, multò minus reprehendere, contrarium fit in Politia libera, in qua suum cuique sentire & dicere est, pro libertate,

DOCTRINA HISTORICA

Idem Ruèús loco citato ait, supervacaneum esse Achatis delineationem & genera scribere, pretiosissimæ hæ gemmæ sunt, quæ Leoninæ pelli sunt similes. Achates Leoninæ pelli similis, leoninum robur designat, hominesque illos, in quorum universalem quandam potentiam, innumerorum hominum imò & belluarum fortissimarum, vires videntur transijsse.

Refert Aventinus Annal Boiorum c. 4. sub Carolo Magno in bellis contra Bòémos, Venetos, Hunnos, & Auoros gigantem quendam militasse, qui per flumina quæ strata pontibus non erant, post se equum suum etiam reluctantem traxerit, Venetos Avorosque in morem Avicularum hastâ velut veru fixos, humeris suspenderit.

Anno 1582. 7. Iunij, cum Turcarum Imperator Machometes, de more solenniter circumcideretur, præsentibus potentissimorum mundi Regum Legatis edita spectacula, in quibus inter alia stupenda, quidam incudem manibus suis supra caput sublatam tamdiu tenuit, donec

duo robusti fabri, ponderosis malleis, soleas aliquot e. quorum ferreas in ea cudissent : quo facto incudem in altum projectam, brachijs expansis iterum excepit, soleasque aliquot eqvinas simul frangere, atque discerpere valuit. Simile quid refertur in Annalibus Polonicis de fortissimo Heroe Ivano Podkowa.

Tritanus qvidam, hostem suum inermi dextera uno digito superavit, & in castra transtulit. Smerdis frater Cambysis, solus arcum inter duos digitos complicabat, quem nemo Persarum, poterat incurvare. Herod. lib. 3.

GEMMA NONA AMETHYSTVS.

In tertia serie gemmarum Rationalis, nonum locum tenebat Amethystus, in quo Rationalis scientiæ elucet.

VERITAS NONA

Logicus una Ratione summa imis, ultima primis, amica hostilibus conciliare potest.

NAturam Relationis hæc veritas describit, *quam in sola ratione fundandi statuimus*, cum enim relatio juxta Philosophum, *cap. ad aliquid, est cujus totum esse est ad aliud*, nihil est tam dissitum tamque alienum ab alio, quod hac ratione referendi unum ad aliud interveniente, in intima fœdera non veniat. Ita supremum Principem infimo opilioni, colosseum gigantem, spithameo pumilioni, perenni odio alienata pectora, primi generis relatio in unitate sita coniungit. Prædicta veritas Logica elucet in Amethysto, quem intimorum fæderum obsidem, & coniugalis amicitiæ subarrhatorem antiqvitati fuisse testatur *Didacus de Artiga comment. in caput 28. Exodi vers.* 19.

DOCTRINA ETHICA I

Ribera lib. 3. de veſtibus ſacerdotalibus c. 11. docet Amethyſtum eſſe gemmam contractuum ſponſalitiorum, & amicitiæ teſtem. Digna Deo Feciali fædera, ſi bonis optimi ſocientur, & ſe ſe mutuò virtutes reſpiciant, ad ejuſmodi fædera. inv. Sen. *Cum Catonibus vive, cũ Lælio cũ Tuberone, quodſi convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate cum Zenone verſare.* Ep. 104. Cum Iulius Cæſar in Conſulatu obnitentē ſibi Catonem, ad carceres damnaſſet, Petronius ex Senatu diſcedens, atque ut maneret monitus à Cæſare, reſpondit. *Malo in carcere eſſe cum Catone, quam in Curia cum Cæſare.* Rectè, quia teſte Saluſtio. *Inter bonos amicitia, inter malos factio eſt.* Id inſitum habebat animo Cato Magnus, cujus dum Pompejus Magnus, ab oriente redux, ſororem in uxorem petijſſet, renunciari juſſit his verbis, *non capi aut illaqveari ſe per fæminas: quod ſi Pompejus rectam in Republica viam iniret, ultro ſe amicum fore, ſin aliàm, nullo pacto aut pretio.* Nempe novit vir ſapiens, malos mores contagioſiſſimam luem eſſe, hancqve indolem vitiorum, velle cum ſocio perire. teſte Seneca: *verſat nos & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus Exemplis, nemo ſibi tantum errat.* Sumuntur teſte eodem *à converſantibus mores, & ut quædam, in contacta corpora vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Si velis vitijs exui,* ait idem, *longè à vitiorum exemplis recedendum eſt. In avaro convictu turpis avaritia creſcit, cum ſuperbis tumor, æ vitia in tortorum contubernio non extingvitur, ut nec inhoneſta ſin Lenonum ſodalitijs flamma.*

Mollis emollit ſocius, doloſus
In dolos ducit, ferus efferatos
Imprimit mores, docet invidere
Invidus alter. Avancinus lib. 2. Lyr.

DOCTRINA ETHICA II.

Pierius

Pjerius lib. 41- asserit per Amethystum significari sobrietatem, eò quòd hæc gemma, contra ebrietátem valeat, ita ut eam ferens, vino non tentetur. Vna Ratio est, quæ summa Imperia imis, primá ultimis, ısteron proteron, quádrata rotundis miscet, est ebrietas: qvare svaserim ego Principibus Amethystum ferendum præ pectore & animo, sobrietatis scilicet symbolum & antidotum: infirma enim Respublica est, cujus caput ebrietate láborat, & eadem gravati pedes titubant. Quæ enim gens ebrietate non perijt? Romam in ebrietatem & luxum effusam Cæsar vini parcissimus subegit, de quo Cato pronunciavit: *Vnum ex omnibus Cæsarem, ad evertendam Rempublicam sobrium accessisse.* Lacedæmon dura illa, sed brevis virtutum custos, *sobria regnavit, ebria servijt-* Cur severa lege ebrietatem damnaret, interrogatus Leontychidas respondit: *ne pro ipsis alij consultarent.* Solon ebrietatis delictum morte punivit, in Hispania ebriosus testimonij dicendi honore privatur, in Italia infamis habetur. Quid quod ebrietas magnorum sæpe funerum fuit ministra? sic Alexandrum teste Seneca Ep. 83. intemperantia bibendi, & ille Herculanus ac fatalis scyphus condidit. Spectaculo fuit Alexandri semper ebrietas, sed toti exercitui ad terrorem propositæ Calani Indi exequiæ, certamēn enim potantium institutum fuit, primo potatori promissum fuit talentum, secundo minæ 30, 3tio. decem, sed cruentum hoc inter pocula certamen erat, triginta & qvinqve in loco convivij horrore quodam & syncope correpti, exspirârunt: sex ad tentoria relati, eadem die obierunt, qui talentum meruit Promachus Macedo, eo accepto intra triduum decessit. Ita de proximò, junguntur merum & mæror, convivium, & mentium ac regnorum naufragium. Eruditè id Prisci expresserunt hoc schemate, pingebant navim hederâ coronatam, navis medio sedentem Bacchum, inter potatores, Aulædos, fidicines,

turbam hominū lætiſſima, cum tamen nec malū haberent, nec velum, nulli eis remiges, nulli remi, gubernator nullus, in prora tigris, Panthera in puppi, excubarent, quæ hæc navigatio? qvam vicina naufragio? ita Reſpublica perditiſſima, quæ poſtquam in lvxuriæ freto, in Liberi Veneriſque ſcopulos impegiſſet, honeſtatis virtutumque omnium, in cratere naufragium inter tubas & tibias facit.

DOCTRINA HISTORICA

AMethyſtus hebraicè dicitur Achlamach, teſte Oleaſtro à chalam quod eſt ſomniare. Vnde dicunt Hebræi ſemper videre ſomnia eum, qui hanc gemmam fert in digito. Etiam hic Amethyſtus Logicam exhibet veritatē, quid ſomnia niſi unica ratio, quæ ſumma imis, ultima primis æquat, pauperes enim ſe Reges ſomniant, & ultima è fæce populi homuncio, ſomniatis dat jura gentibus, ad milleque refertur mundos qui dormit in uno, ut eruditè Hemelitus pronunciavit, *vigilantibus communis & unus eſt mundus, ſopiti in ſuum quisque diſcedimus.* Verùm non ſemper ſomnia, ſunt ſomnia. Scribit Valerius Maximus lib. 1. c. 5. de duobus Arcadibus, qvi iter ſimul facientes, Megaram cum veniſſent, alter ad hoſpitem ſe contulit, alter in tabernam divertit, is qui in hoſpitio erat, vidit inſomnis comitem ſuum ſibi ſupplicem, ut ſibi Cauponis inſidijs circumvento, ſubveniat, poſſe enim celeri ejus accurſu ſe imminenti periculo ſubtrahi, quo viſo excitatus proſilijt tabernamq; petere conatus eſt, verùm falſum ſomnium damnans, lectum ac ſomnum repetijt. Tum idem ſocius ei ſaucius oblatus obſecrat, ut qui vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, necis ſaltem ultionem non negligeret, corpus enim à Caupone trucidatum, hâc horâ plauſtro vehi ad portam ſtercore còépertum; tam conſtantibus ſui familiaris precibus compulſus, protinus ad portā

cucurrit

cucurrit, & plaustrum quòd in quiete demonstratum erat, comprehendit, Cauponemqve ad capitale supplicium pertraxit.

Qvidam somniabat se lethaliter morderi à marmorreo Leone, uno ex his qvos in templi cujusdam vestibulo stantes viderat : die verò postero cum templi fores transiret, Leone spectato somnum suum inter comites narravit, & cum risu manu in apertum os Leonis illius marmorei injectâ dixit, *en nocturnus hostis meus.* & ecce scorpius, qvi in imis faucibus Leonis illius delitescebat, lethaliter eum vulneravit. *P. Pexenfelder Ethicæ Symbolicæ Symb. 61.*

Cyppus Rex Italiæ, interdiu magna cum voluptate pugnam Taurorum spectavit, exinde vividè somniaverat, de cornibus natis in capite, cum ea postridie frõti impressa, ex vi imaginationis produxit in lucem. Montaigne l. 1.

GEMMA DECIMA
CHRYSOLITVS

Quarta & ultima in Rationali summi Pontificis gemmarum series, tribus gemmis radiabat, Chrysolito, Onychino & Beryllo. In Chrysolito, Rationalis scientiæ elucet,

VERITAS DECIMA
Potest Logicus sine oculis clarè videre, simulque sine capite omnia scire.

HÆc veritas Philosophicum illud in se continet mysterium; nempe *quod possit esse in eodem intellectu de eodem objecto, eodem tempore, simul actualis scientia, fides, & opinio: imò, quòd idem actus, possit esse simul fides, scientia, & opinio.* elucet veritas ista in Chrysolito, nocte igneam, die auream lucem fundente, quid enim fides, nisi mystica caligo veritatum absconditarum, quæ tamen illam ex se ema-

ſe emanat certitudinem qva omnes errores igne veluti divino conſumuntur, qvid ſcientia niſi dies, qvæ etiam intra opinionis nubes, ſuam claritatem & certitudinem non amittit ? hæc Ethica nox, & dies jungantur ſimul, & mox pulchrum ingenij oſtentum orietur, Logicus ſine oculis per fidem videns, ſciens per ſcientiam, ſed caput ad fidei decreta deponendo, cujus objecta optimè ſciuntur, neſciendo. Verum ad Ethica magis deſcendo.

DOCTRINA ETHICA I

Si qvando, hoc ævo, fidei humanæ, ſcientia jungatur eſt neceſſe, niſi quis falli elegerit. hoc inquā ævo ubi *mille annis jam tránsactus; nulla fides eſt in factis, mel in ore, verba lactis, fel in corde, fraus in factis.* Plures hoc ſæculum alit fraudulentos Aulæ ſtelliones, qvibus meritò inſcribas *ſub luce lues.* Plures affectatos, & ficti candoris olores, qvibus *ſubtus nigerrima cutis* : non unus in aula ceu in feraci fraudium ſeminario, alitur Autolicus, *quo non præſtantior alter, & fraudare homines, & fallere numina Divûm.* Vt merito Græcus exclamet Comicus : *paucis e multis fidus adeſt animus.* Itaqve non ſunt reprehendendi Principes ſi (ut ait Politicus) *cum vulpe vulpinentur* : nam *fallere fallentem, fraudemqve repellere fraude, exemploq; licet ludere qvemque ſuo.* Hoc præſertim tempore, qvo periculoſum eſt, inter tot fraudes ſolâ innocentiâ vivere : *nunc qvi fidem rumpit, ditatur; qvi ſervat, eget.* Hinc bene monet Principes, vates : *Tu qvicunq; es, qui ſceptra tenes, licet omne tua vulgus in aula, centum pariter limina pulſet, cum tot populis ſtipatus eas, in tot populis vix una fides.* Hinc Leonis Imperatoris teſſera ſolennis *fide & diffide.* rectè Ovidius *qvos credis fidos effuge, tutus eris.*

DOCTRINA ETHICA II.

RVeus lib. 1. de gemmis c. 7. hæc de Chryſolito ſcribit: ſelectiſſimarum eſt India nutrix, qvarum aliæ cæ-

rulæ sunt, aqvæ virorem ita præferentes, ut aurum in collatione, qvadam veluti argenti facie, cogant albicare: qvid aqvæ nisi Populi? qvid aurum nisi Princeps? tunc inæstimabilis, cùm in collatione cum populo, argenti faciem induit, id est fidei scientiæqve Orthodoxæ conformem vitæ candorem. Phreates Parthorum Rex, interrogavit Timonem Philosophum, qvod esset Reges inter & subditos discrimen? respondit Philosophus, *hoc inter utrumque interest, quod inter unum & omnia, omnes populares Principem spectant unum, unus Princeps spectat omnes populares*, iis proinde una satis obedientia ad Imperium, illi omnigena *virtute opus est ad exemplum*: heliotropium vertitur ad solem, subjecti populi seqvuntur vitam Principum: vobis (dicebat Seneca) *non magis qvàm soli latere contingit, permulta circa vos lux est, omniumin illam conversi oculi.* Bene Isidorus lib. 3. de summo bono: *Reges à rectè agendo vocati sunt, ideoqve rectèfaciendo Regis nomen tenetur, peccando amittitur.* Ferdinando Castellæ Regi ejusmodi erat Emblema. Stabant à dextris duæ Nymphæ, altera tenebat sceptrum, in cujus summitate erat oculus, cum Lem. *Prudentia.* In altera manu grus cum Lem: *vigilantia.* Secunda Nympha tenebat libram cum Lem: *Iustitia*: Altera manu cor aureum cum Lem. *Clementia*: hæ Geminæ Nymphæ cum suis insignibus, Regalem Thronum sustinebant, ut securè subsisteret; Ita *frugi hominem, non multum habet laudis in Rege, fortem, justum, gravem, severum, magnanimum, largum, beneficum liberalem esse, hæ sunt Regiæ laudes.*

DOCTRINA HISTORICA

CHrysoliti Arabiæ ignobiliores dicuntur, eò qvòd vario colore ac turbulento luceant. Color turbulentus Chrysoliti, naturæ ordinem & symetriam turbatam designat: mirabile certè est, apertis oculis non videre, mirabilius

rabiliùs in cæca noctis caligine videre omnia, mirabilissimum oculos extra frontē & infrà illā habere. Primū nempe apertis oculis non videre, facit herba Dutroa in omnī India notissima, raphano nostrati similis, intus nucleis qvibusdam melonum semen referentibus prægnans est, hi ex aqva, aut ex vino, aut ex qvovis alio liqvore hausti, aut cum Oryza cocti, hominis mentem ita percellūt, ut nihil eorum qvæ præsenter fiunt agnoscat, & discernat. Herbæ hujus usus Indicis & Lusitanicis fæminis est freqvens, ad dementandos Maritos suos, qvoties illicitâ consvetudine cum alijs perfrui desiderant, ubi enim parum de herba ista, viro suo mulier propinavit, illico ad conspectum, & latus ejus, nefanda qvæque patrat, viriq; barbam vellit, faciem freqventibus colaphis cædit, & licet Maritus apertis oculis hæc omnia videat, nihil tamē videt, nec postqvàm deinde expergefactus ad se redit, ullius recordatur. Eandem herbam, servi quoqve & mācipia, suis aliqvando Dominis admiscent, ut illis ita sopitis, cistas & arcas commodiùs expilare qveant. *2dum.* Nempe in cæca noctis caligine videre omnia, facit arrogans fastus. Ita Chinenses populi, in cæca Ethnicæ noctis caligine delitescentes, omnia se cæteris populis clarius videre, certius scire declamant, cui rei fidem facit invidiosum nimis & percelebre inter eos dicterium illud: *Chinenses duos habere oculos, Europæos unum, & quod hominum est reliqvum, cæcutire. Tertium.* Oculos extra frontem nativam oculorum sedem, & infra illam reperiri testatur S. Aug. scribit in Enchir. c. 87. & Plin. lib. 11. inqvit: *in Ægypto repertos homines, binis, sed in adversa parte capitis oculis: item oculos in pectore, alios in naso habentes.*

GEMMA

GEMMA VNDECIMA
ONYX

Vndecima Pectoralis gemma erat Onyx ſeu Onychinus, in hac gemma elucet Rationalis Philoſophiæ.

VERITAS VNDECIMA

Antiqvitatem generis Logici, genus novum teſtatur.

GEnus primum prædicabile, poſſe definiri per genus, docet hæc veritas. Veritatem gemma Onychina illuſtrat, ut enim gemma hæc ſcintillas qvaſdam ex ſe ſpargit, quibus undiqve illuſtratur, ita genus eſſentiale, cum pluribus ſpeciebus ſibi ſubjectis refulget, tum maximè orto ex ſe, id eſt abſtracto a ſe, genere accidentali, quod eſt prædicabile, antiqvitatem ſuam indies approbat & exornat.

DOCTRINA ETHICA I.

Abulenſis ſcribit, Onychem habere formam ſpecularem ſed in ea imagines everſas ſicut in ſpeculis concavis videri; ſpeculum majorum ſunt poſteri filijqve eorum, in qvibus per recentia merita, innovatum vetuſtum genus, veluti renaſci, ipſiqve majores, vitâ potiore frui deſiderantes, auxiliarem poſterorũ virtutem implorant *Obſecro & obteſtor, vitæ me redde priori.* Infelices progenitores, ſi filios Onychinos habeant, in qvibus everſæ avitæ famæ, & virtutis imagines, orbi repræſententur: everſum eſt genus avitum, everſa majorum gloria vetus, qvam novum innovatum ſcilicet virtute poſterorum genus, non ſuſtinet. *Genus virtute perennat.* hoc nimirum eſt generoſi animi ornamentum, non indignum eſſe maioribus, nec curare qvàm illuſtres habueris avos, ſed qvàm & ipſe non

obſcurus ſis nepos: aliàs cœnoſum ac turbidum rivum, non commendat perſpicui fontis limpidus latex. Infamat improbos, majorum gloria, & degeneri ipſa nobilitas ignominioſa eſt. Opprobrium eſt defuncto, heres degener, *dedecorant bene nata culpæ.* Hinc præcavet Ambroſius *Cave igitur, ne in te erubeſcant tuorum merita majorum, ne fortè & illis dicatur, cur talem reliqviſtis hæredem?* Vbi porro ſubſidia & præſidia virtutis deſunt, ſatius eſt docēte Horatio *non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem.* Ciceronis teſtimonio id comprobatur; cui dum generis ignobilitas objiceretur, reſpondit: *ſatius eſt meis geſtis florere, quàm majorum opinione uti, & ita vivere, ut ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Animus* (ait Seneca) *nobilem facit, cui ex qvacunqve conditione ſupra fortunam licet aſſurgere, Patritius Socrates non fuit, Cleantes aqvam traxit, & rigando hortulo locavit manus, Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit.* Arborem olivæ qvispiam effinxerat tenerioribus Olivis circumfuſam, qvæ ſuccum ex illa extraherent, cum inſcrip, *ut ſubſtituantur.* Ita, ſubſtitui filij ſuis progenitoribus debent, non eorum genus, gloriamque profligatâ vitâ proſtituere, attrahant fortunæ hæreditariæ ſuccum, in vitam non in exitium majorum, in ſuaqve alant majorum gloriam, antiqvum novo approbent genus.

DOCTRINA ETHICA II.

ONychinus habet colorem ungvis humani, id eſt rubeum cum albo mixtum, en pretioſa gemma, tam vilis rei ſimilitudinem non erubeſcens, docet Principes, ut ſupra homines ſublimati, ſimiles eſſe hominibus non detrectent, nec humanitatem exuant, poſtqvam purpuram induiſſent. Imitentur Trajanum, de qvo ſuus Encomiaſtes: *ſcriberis ab amicis, ab ignotis, prateritis: nihilqve inter pri-*

vatum & Principem intereſt, niſi qvod nunc à pluribus amaris, nam & plures amas. Hadrianus Imperator, in colloqvijs etiam humillimorum, mirè civilis erat, eoſqve ſolebat deteſtari, qvi hanc humanitatis voluptatem ipſi inviderent. *Accedant ad me homines* (dicebat Rudolphus Imperator) *neq; enim ideo Imperator ſum, ut incluſus in arca delitescam. Rex Iuppiter omnibus idem,* omnibus & Princeps eadem humanitate patere debet.

DOCTRINA HISTORICA

Onyx perennem cum Sardio gerit Antipathiam, in cujus præſentia nullos poteſt exercere effectus. Et Onyx & aliæ res ſublunares, habent ſuos hoſtes & inimicitias, degenerantqve ab antiqvo genere, niſi novis perennium inimicitiarum generibus, illud approbent, & conſervent. Bufonis & Aranei perenne eſt odium, unde bufo adeo horret araneum, ut eo tempore qvo aranei prodeunt, id eſt tempore ſicco & ſole meridiano, (nè in Lethiferum ſibi hoſtem incidat) niſi rutâ inſtructus, comparere non audet.

IN Britannia, terra conclavium, ſcirpis virentibus conſterni ſolet. Quidam faſciculos aliqvot in cubiculum congeſſerat, ſparſurus cùm eſſet commodum : is cùm à prandio ſupinus in conclavi dormiret, bufo ingens e faſciculo erepſit, & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atqve inferno labro qvatuor pedibus. Detrahere certa mors erat, non amovere morte crudeliùs. Svaſu qvorundam, ſub feneſtram delatus eſt jacens ſupinus, in qva ingens araneus telam texuerat, ille conſpecto hoſte ſuo ſe librat, bufonique ſpiculum infigit, qvod cum tertio ictu repetijſſet, abduxit bufo pedes, ruptuſqve vi veneni decidit. Veberus in diſcurſibus curioſis & fructuoſis. Muſtelæ qvoqve cum bufone vehemens eſt antipathia : nihilomi-

diſcur. 52. c. 5.

hilominùs teste Kirchero, licet Bufonem ita horreat, ut simul ac in obvium incurrerit, voce tristi omnia compleat, omnesqve in partes fremebunda discurrat, tandem tamen cum flebili stridore, in hiantes Bufonis fauces præceps abit: cujus causam hanc Kircherus assignat, Mustelam inqvit a Bufone trahi, ob aliqvam corporis sui partem subditam seu amicam spiritui Bufonis, istam verò partem ait esse fortè vesicam fellis, qvod venenum est, teste Plinio lib. 19. c. 4. Aliunde verò certo constat, bufonem trahere venena, idqve facit per venenosam qvalitatem, etiam longiùs per àërem diffusam, præsertim si magis amicum magisqve cognatum virus, qvale esse videtur Mustelæ distet.

LVscinijs cum viperis & serpentibus Antipathia lethalis est. Hinc dumeta & rubos Lusciniæ quærunt, ut ab illis tutæ sint, ad ea enim loca, propter spinarum aculeos, non facilis est serpentibus accessus. Cardani verba sunt: *Majus est quod de Philomela referunt, Paterqve meus id testabatur, scilicet Philomelam deprehensam in arbore a serpente qvi arborem ambit, paulatim deflentem miserabili voce in illius os, ut devoretur descendere.* Gaudentius Merula credit Lusciniam à serpente oculorum fulgore in hanc perniciem trahi. *Aldrovan Ornithol. li. 16. c. 1.* *Pl: l. 18. c. 7.*

Passeres cum Bufone perpetuas gerunt inimicitias, hinc qvia milij esu maximè delectantur, agrisqve damnũ inferunt, multi ad remedia ejus segetis *Bufonem noctu arvo circumferri jubent, priusquàm sarriatur, defodiqve in medio vase fictili inclusam, ita nec passerem nec vermem nocere sed erui debet Bufo priusquam metatur, milium, alioqvi fit amarum. hæc Plinius.* *Aldrov an Ornithol. lib. 15. fol. 254. tit. Simpa Antipa.*

GEMMA DVODECIMA BERYLLVS.

Beryl-

Beryllus, eſt duodecima gemma Pectoralis Pontificij, in illo Rationalis Philoſophiæ elucet.

VERITAS DVODECIMA
Logica Reſpublica, creſcit ſciſſione unitatis.

HÆc veritas proponit præciſionis objectivæ extrinſecæ neceſſitatem, *qvâ ſolâ, verè ac propriè gradus Metaphyſicos diſtingvi aſſerimus,* elucet veritas iſta in Beryllo, ut enim Beryllus, eò majorem fulgorem habet, qvò in pluribus partibus in qvadrangulas ſexangulaſque formas ſcinditur; ita & Logicæ Reipublicæ, eò major eſt ſplendor, quò in plures gradus, unam quampiam entitatem dividit intellectus, cauſam enim finalem præciſionis non aliam aſſignamus, quàm clariorem eſſentiarum penetrationem; quia dum per intellectum fit iſta diviſio intentionalis, unius entitatis in ſuas formalitates, & qvid ſint in ſuo eſſe expēduntur, clariùs perfectiúſque tandem ipſæ rerum eſſentiæ penetrantur.

DOCTRINA ETHICA I.

BEryllus ab Indis in ſex angulos elaboratur, quia aliter fulgorem non habet, ita & Logicæ Reipublicæ, eo major eſt ſplendor, quò in plures gradus unam entitatem intellectus dividit, & interior hominis Politia impolita eſt, niſi perenni bello, & continua fæderum unitatisque cum vitijs ſciſſione, expoliatur. Caligant ipſi Sereniſſimi, niſi hâc ſciſſione ſuam ſerenitatem accendant, & extendant. Hinc Othoni II. ex Auguſta Saxonum familia Romanorum Imperatori, vox & teſſera ſolennis *pacem cum ho-*

Reu:ſn. in Symb. Imp.

cum hominibus, cum vitijs bellum. Is (ait D. Ambrosius in Psalm. 118.) *bene Regia qvâdam potestate se cohibens Rex dicitur, qvod regere se noverit, & arbiter sui juris sit, nec captivus trahatur in culpam.* Enimverò teste Sidonio lib. 2. Ep. 13. *sicut hominibus Reges, ita Regibus prava desideria dominantur.* Testatur idem Seneca. *Multi sunt qui ante se agunt agmina, & tergis hostium graves insistunt, & ad mare Magnum perfusi cæde gentium veniant, sed hi qvoqve ut vincerent hostem, cupiditate victi sunt, nemo illis venientibus restitit, sed nec ipsi ambitioni crudelitatiqve restiterunt, tunc cum agere visi sunt alios, agebantur. Qvid Cæsarem in sua pariter fata ac publica immisit? gloria & ambitio, & nullus supra cæteros eminendi modus. Qvid tu Marium, cum Teutonicos Cimbrosqve concideret, cum Iugurtham per Africæ deserta seqveretur, tot pericula putas appetijsse virtutis instinctu? Marius Exercitum, Marium ducebat ambitio.* Qvid loqvar de impotenti Orbis domitorum irâ? qvoties huic belluæ, invicti bellatores coronata triumphalibus hederis capita subjecerunt? unum adduco. Cæsar, iratus Cœlo quod fulminibus suis pantomimis, triumphi tempore obstreperet, ad pugnam Iovem vocavit, machinamq; excogitaverat, qva tonitribus obstreperet, ac contra fulmina fulminaret, qvoties ea decidissent, lapidem vicissim ejaculabatur, & in cælum emittebat, Homericum illum exclamans versũ *Tolle me aut ego te.* Sub aliqvibus verò Tyrannis ne vocem qvidem liberam emisisse, cuiqvam impune fuit. Illorum conditionem describit Seneca lib. 1. de ira c. 10. *Qvi fortis esse nisi irascitur non potest, industrius nisi cupit, qvietus nisi timet, in Tyrannide illi vivendum est,* in alicujus affectûs venienti servitutem. *Hinc Briseis Achilli fortissimo inculcat.*

Vince animos iramque tuam, qui cætera vincis

INter multas Iulij Cæsaris laudes, Cicero maximè deprædicat ejus in hostes animi moderationem, aitqve *animum*

vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem. Hæc qvi faciat non ego eum, cum hominibus comparo, sed simillimum Dijs iudico. Excelluerunt hoc genere victoriæ & alij Principes. Cum Alexandro Macedoni relatum esset, ipsum à qvopiam contumelijs impeti, respondebat. *Regium esse cum facias bene, audire malè.* & Alphonsus Aragoniæ Rex à qvibusdam bene de se meritis probris lacessitus: *Regum esse dixit, non solum benefacere, sed mala etiam patienter audire*, Tiberius Cæsar auditis qvibusdam malevolorum cõvitijs respondit *in Civitate libera, liberas esse lingvas oportet.* svadentibus nonnullis Ludovico XII. Galliæ Regi, ut ulcisceretur injurias qvas sub Carolo VIII. accepisset cum Ducis Aurelianensis titulo gauderet, respondisse fertur: *Regem Galliæ, non decet ulcisci injurias Ducis Aurelianensis*: Ita immutet Princeps affectus & passiones, qvi quodammodo cum Imperio naturam immutat, illudqve habeat præ oculis Claudiani monitum Datum Theodosio: *tunc omnia jure tenebis, cum poteris Rex esse tui*

DOCTRINA ETHICA I.

BEryllus glaucus est, nec ullum penitus fulgorem habet nisi scindatur, ita Respublicæ qvædam, imò etiam maximæ non fulgent, nisi cum diuturna fædera, eaque bono publico pernitiosa, subindè rescinduntur. Nempe & Politiarum & aqvarum eadem esse natura videtur, longâ & inerti pace stagnantes non pellucent, motu claritatem & vigorem conservant. Hinc eruditus Sàávedra etiam cũ de pace agitur, armorum curam non deponendam svadẽs, proponit manum *oleam* pacis signum præferentem, sed clipeo armatam cum Lemmate *sub clipeo?* id svadet & Mantuanus vates *pacem orare manu, præfigere puppibus arma.* De veteribus Hispanis scribit Iustinus ex Trogo: *Dura*

Dura omnibus parsimonia, bellum quam otium malunt, si extraneus abest, domi hostem quærunt. Maximi Imperatoris, vox & tessera solennis erat : *marcet sine adversario virtus,* sic Romanorum fortuna, tunc mutari cœpit, cum excisa Carthagine Perseoqve capto, hostes non haberet. Hinc S. Aug. ait *otio perijt Roma deletâ Carthagine.* & Salustius de conjuratione Catilinæ: *Vbi labore atqve justitia Respublica Romana crevit : Reges Magni bello edomiti: nationes feræ & populi ingentes vi subacti. Carthago æmula Imperij Romani à stirpe interijt, cuncta Maria terræq́ patebant, sævire fortuna cæpit. Qui labores pericula, dubias atq́ asperas res, facile toleraverant, ijs otium divitiæq́ optandæ alijs , oneri miseriæq́ fuére. Ita, otium & Reges prius, & beatas perdidit urbes.* Qvid loquar de Polonia, bello nostra crevêre consilia , armis erecti senatus, *sterilis soli ingenium non alius vomer subegit, quam gladius, ipsi Hercinij saltus, tot Lecho debent Civicas, quot numeramus cives, nulla ibi arbor Lecho non laurus, nulla non trophæum.*

DOCTRINA HISTORICA

Glossa Interlinearis ait, Beryllum non posse sculpi : Animi invicti hæc gemma symbolum est, cui inimica manus nihil contra Deum, Ecclesiam, Patriam possit insculpere. *Marcellinus Martyr* Diocletiani jussu stipitibus cum fratre affixus, Psalmum illum cecinit : *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres & unum*

HArpago in conviuium Cyri Persarum Regis accito, cum appositi essent filij, finitaque cæna, Rexque interrogâsset, an cæna fuisset opipara ? ubi dolum & sævitiam agnovit, lacrymas tenuit, dolorem suppressit, atque placido vultu cænam laudauit, & gratias egit. *Iust. lib.* 1.

Post cladem Varnensem 12. elegantiores adolescentes Poloni capti, & in cubiculum Amurathis deducti in necem ejus conjurarunt, sed cum intellexissent à Bulgaro

ſocium conſilij adhibuerant, proditos ſe eſſe, obduć oſtio, peſſulis, armati inter ſe concurrerunt, & mut vulneribus fortiter cadere maluerunt quam belluinis T ranni libidinibus ſeruire. *Cromerus lib.* 21. Fortis ac in cti animi ſunt etiam ſequentia exempla. Hiſpani ſe per fuerunt Magnanimi, libertatiſque ſuæ retinentes mortis contemptores, teſte Silio li. 1. de bello Punico illos deſcribente

Prodiga gens animi & properare facillima mortem
Namq; ubi tranſcendit florentes viribus annos,
Impatiens æui, ſpernit noviſſe ſenectam,

Celtiberi in acie plaudebant, tanquàm gloriosè uitâ ceſſuri, in morbo lamentabantur, quaſi miſerabiliter rituri, quorum inuictum animum celebrat Silius. lib

His pugnâ cecidiſſe decus corpusq; cremari
Tale nefas, cælo credunt ſuperisq; referri
Impaſtus carpat ſi membra jacentia vultur.

De Alphonſo Aragoniæ Rege ſcripſit Panormitanu *in omni fortuna, Alphonſum & videri & æſtimari meritò Regem.* Ejuſmodi magnanimos Heroes deſcripſiſſe uidetur Seneca Ep. 72. *Magnanimus ſtat rectus ſub quolibet pondere. vires ſuas novit, vicit virtute fortunam.*

Ad M. D. G, B. V. M. S, L. O. C. Ho.

